
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Jahresbericht

über die


Königliche Klosterschule zu Ilfeld

von Ostern 1884 bis Ostern 1885.

Inhalt:

NORDHAUSEN, 1885.
Druck von C. Kirchner.

1885. Progr. No. 284.


HARVARD COL
OCT 16 1900
LIBRARY

Quaestiones chronologicae Horatianae.

Temporum quibus Horatii carmina scripta sint definitionem ad eius vitam et opera cognoscenda maximo usui esse cum neminem non concedere videam, mirum videri potest quod etiam post Frankii [1]) fastos Horatianos ea quaestio redintegratur. Cuius rei si quis hoc non satis causae esse putet, quod Frankius, ut saepius expositum est, non semper verum vidit, certe ex quo illi fasti Horatiani in lucem editi sunt, curae multorum virorum doctorum in Horatii carminibus edendis recognoscendis explanandis adhibitae protulerunt non pauca ad definienda tempora carminum spectantia quae colligere examinare ad quaestionem nostram referre operae pretium sit. Itaque Christius [2]) quoque commentatione abhinc VIII annos edita de trium priorum librorum carminum editione denuo disserendum sibi esse arbitratus aliter ea de re se sentire ac Frankium ostendit, leviter attigit quod pervestigare nostrum est quibus temporibus composita et edita sint carmina quarti libri. Atque profecto ut omnes de quarti libri temporibus dubitationes sublatae sint tantum abest, ut diversas in partes discedant etiam nunc ea de re viri docti. Inter quos hoc loco duorum adferre sententias satis habeo: Campii [3]) qui carmina a poëta in scriniis relicta in quarto libro collecta esse censet Rosenbergii [4]) cui etiam priorum temporum poëmata huic libro inserta videntur esse.

Una exstat Horatii vita quae quidem antiqui scriptoris sit excerpta ex ea Suetonii libri de viris illustribus parte quae de poëtis erat compluribus Horatii codicibus manuscriptis tradita [5]). In qua de quarto carminum libro haec insunt [6]): „Scripta quidem eius usque adeo probavit (Augustus) mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen conponendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum suorum, eumque coëgerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere;“ quibuscum quae adfert Porphyrio [7]) tantopere

---

1) Fasti Horatiani. Scripsit Carolus Franke. Accedit epistola Caroli Lachmanni. Berol. 1839.

2) Fastorum Horatianorum epicrisis. Viro clarissimo Leonardo de Spengel congratulantur sodales ordinis philosophorum universitatis Ludovico-Maximilianeae pia collegarum vota interpretante Guilelmo Christ. Monachii 1877.

3) J. Ch. F. Campe. Zu Horatius. Neue Jahrbücher für Philologie u. Pädagogik. 1877. p. 129 sqq. p. 141.

4) Rosenberg, die Oden und Epoden des Q. Horatius Flaccus. Gotha 1883. p. 3.

5) „Reliquae Horati vitae in libris poëtae repertae ne ullam quidem antiquam memoriam, nisi quae ex ipsis carminibus recepta sit, continent“. (Reifferscheid, Suetonii reliquiae p. 387. Teuffel, Geschichte der römischen Literatur 3. Aufl. Leipzig 1875. p. 485.)

6) Q. Horatii Flacci carmina recognovit et praefatus est Lucianus Mueller. Lips. 1870 p. 242 et sqq.

7) Pomponii Porphyrionis commentarii in Q. Horatium Flaccum. Recensuit Guilelmus Meyer Spirensis. Lips. 1874 ad odarum librum IV, 1 (p. 121) „Post consummatos editosque tres carminum libros maximo intervallo hunc quartum scribere conpulsus esse dicitur ab Augusto, ut Neronis privigni eius victoriam de Raetis Vindelicis quaesitam inlustraret, quae in hoc libro ea ode continentur, quae sic incipit Qualem ministrum fulminis alitem“ ad oden 4, 4 (p. 126) „Haec est ecloga, propter quam, ut supra ostendimus, totus hic liber conpositus est. Scripta est ergo in Neronem Drusum privignum et successorem Augusti, qui Raetos Vindelicos bello vicit“.

congruunt, ut eum illam Suetonii vitam secutum esse sine ulla dubitatione iudicari possit. Plerique viri docti Suetonio fidem tribuere non dubitaverunt, inter quos Richardus Bentleius [1]) „plenissimum“, inquit, „Suetonii testimonium qui aut refellere aut eludere conantur inanem operam insumunt“.

Atque quod Suetonius quartum librum ex longo intervallo tribus carminum libris additum esse dicit comprobatur ipsorum codicum Horatianorum praescriptis et ad quem data sint carmina et argumenta et vocabula quaedam graecanica de genere carminum continentibus. Quae praescripta antea ita neglecta, ut ex plurimis Horatii editionibus prorsus expellerentur, restituit Adolfus Kiesslingius de Horatianorum carminum inscriptionibus commentatiuncula [2]). Qui cum aliis tum hac dilucidissima et planissima disputatione de Horatio bene meritus illa praescripta ex doctis commentariis proximis post poëtae aetatem temporibus confectis excerpta esse ostendit. Quorum commentariorum origo sive Julio Modesto debetur, ut Kiesslingius paulo audacius suspicari videtur, sive alicui ex eius aequalibus, certe horum titulorum testimoniis in definiendis carminum temporibus nobis utendum est. Itaque cum codices Parisinus 7900 a A et Bernensis B ad tres priores libros ubivis breviora, ad quartum ampliora illa praescripta perhibeant, codices Parisini 7974 et 7971 quorum archetypum Kellerus littera F signavit ad tres priores libros ampliores, ad quartum breviores titulos tradant, optimo iure Kiesslingius [3]) coniecisse mihi videtur desumpta priorum librorum praescripta esse ex codicibus qui tres carminum libros solos complectebantur quae res aptissima est ad Suetonii fidem augendam [4]).

Inde ut omne dubium amoveatur et ea quae a Suetonio tradita sunt suppleantur, refugiendum est ad ea temporum indicia quae in ipsis Horatii carminibus insunt. Quatenus vero Horatii carmina apta sint ex quibus tempora definiantur quaerendum est.

Quamobrem primum videndum est qui poëtae Horatium secuti sint quos ipse secutus sit et qualem fructum inde percipere possit disputatio nostra. Quae de imitatione Horatii quaestio quam gravis sit Kiesslingius [5]) in conventu philologorum a. 1869 Kieloniae congregatorum exposuit eam ad id tempus neglectam esse dolens. Nec minus Lucianus Muellerus [6]) optat, ut exsistat aliquando qui colligat exempla imitationis Horatianae quotquot reperiuntur apud poëtas. Quorum desiderio maximam partem satisfecit Martinus Hertzius Analectis ad carminum Horatianorum historiam [7]) qui, quamquam „quid in hac materia praestitum quid praestandum relictum sit“ se indicaturum esse profitetur [8]), tamen toti de imitatione Horatiana disquisitioni optime consuluit. Atque eam quaestionem ad tempora carminum definienda pertinere eiusdem Hertzii exemplo demonstrabo. Utrumque satirarum Horatii librum non separatim foras datum — quam plurimorum virorum doctorum opinionem Hertzius

---

[1]) Q. Horatius Flaccus ex recensione et cum notis atque emendationibus Richardi Bentleii. Ed. III. Berol. 1869. I. praef. p. XIX.

[2]) Index scholarum in univ. litt. Gryphisw. per sem. aest. anni 1876 habendarum. Gryphisw. 1876.

[3]) p. 10.

[4]) Cuius sententiae accedere Zarnckium in dissertatione de vocabulis graecanicis quae traduntur in inscriptionibus carminum Horationorum 1880 Argentorati edita ex iis quae de hoc libello refert Aemilius Rosenberg (Philologische Rundschau 1881. Nr. 42 p. 1340) colligo.

[5]) Verhandlungen der 27. Versammlung deutscher Philologen und Schulmännner 1869. Leipz. 1870. p. 31.

[6]) Q. H. F. c. p. XII.

[7]) Ind. scholarum in univ. litt. Vratislaviensi per aestatem 1876 habendarum I. 1878 II. 1879 III. 1880 IV. 1882 V.

[8]) Anal. I, p. 5.

quoque antea secutus erat — sed duos uno tempore a. u. 729 emissos esse ea de causa statuit[1]), quod quattuor georgicorum Vergilianorum libros eo anno finitos et publici iuris factos per primam libri prioris satiram ab Horatio respectatos et discerptos esse persuasum habet. Idem exemplum aptum est ad demonstrandum quantae difficultates obstent ei qui ex imitationibus tempora carminum definire vult. Frankius[2]) enim ut in eo quod Horatium in illa satira priorem georgicorum librum respexisse censet consentit cum Hertzio, ita in altero libro Vergilium simili modo Horatio respondisse putat et hac de causa idem quod Hertzius ex relatione georgicorum librorum et primae prioris libri satirae colligere non potest. Itaque si rationem aliquam inter Horatii et alterius poëtae locos intercedere exploratum est, semper quaerendum erit uter utrum imitatus sit quod ubique pro certo dici posse haud facile quisquam contenderit. Accedit quod illa ratio utrum concedenda an neganda sit multis locis magna est inter viros doctos dissensio. Exempli causa nomino Duentzerum[3]) qui consensum aliquem inter Horatium et Vergilium permultis locis exstare censet et Paldamum qui commentatione de imitatione Horatii anno 1851 Gryphiswaldiae edita Horatium Vergilii carmina nusquam, Vergilium Horatii paucis locis imitando expressisse contendit[4]). Utut res est, quidquid de aequalium imitatione — nam imitationem nisi aequalium ad disputationem nostram non pertinere patet — prolatum est, ad singula quarti libri carmina notabimus, notatum examinabimus. Quibus disputationibus quamvis ad horum carminum tempora definienda multum profici posse non adfirmaverim, haud scio an notae temporum aliunde ductae ea re aut confirmari aut refutari possint.

Satis dictum esse arbitror de imitatione Horatiana; nunc explicabo quid censendum videatur de ordine carminum quo digesta inveniuntur in libris manuscriptis. Qui ordo quin ipsi Horatio tribuendus sit non dubito, nam postea eversum esse eum ordinem quo Horatius poëmata promulgavit neque est cur statuamus et plana omnium librorum consensione refutatur[5]). Itaque si perquiri possit quousque Horatius temporum quibus carmina confecta sunt ordinem reliquerit, magnum hac ex re fructum percipiamus ad tempora definienda. Quamobrem complures qui temporibus carminum Horatii definiendis operam dederunt homines docti hac de parte rei lucem adferre conati sunt. Kirchnerus[6]) hoc unum egisse in carminibus digerendis Horatium putat, ut carmina argumentis inter se similia quam maxime distraheret. Cahnius[7]) vero de aliis libris alia, de quarto carminum libro censet Horatium praecipue metrorum varietatem in carminibus collocandis petivisse. Quibus causis numerorum et rerum varietati qui proximo tempore hac de re disseruerunt Christius et Kiesslingius tertiam quandam addiderunt Horatium hominum quoque quibus singula carmina mitteret dignitatem in carminibus disponendis respexisse arbitrati. Atque ad primi libri carmina I—IX digerenda omnes eas res pertinuisse evincit Christius[8]); metrorum varietatem ut usque ad

---

1) Anal. I, p. 12 et sqq.
2) F. H. p. 26 sq.
3) Vergilius und Horatius. (Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik 99. Leipz. 1869. p. 313 et sqq.)
4) Duentzer. l. l. p. 330 adn. 10.
5) Aliter sentit Bobrik, qui novam quandam rationem carminum in codicibus dispositorum se invenisse in conventu philologorum Pomeranorum nuperrime docuit; qui quod argumenta quibus eam sententiam comprobari posse arbitratur publici iuris nondum fecit doleo. Blätter für höheres Schulwesen I, XII 1884 p. 204.
6) Quaestiones Horatianae. Scripsit C. Kirchner. Lips. 1834. I. De Bentleiana temporum quibus Horatius poëmatum suorum libros scripserit constitutione. p. 40.
7) Quaestionum Horatianarum trias. Bonnae 1838. p. 13.
8) Fast. Horat. epicr. p. 10—12.

duodecimum carmen proferret, Kiesslingius[1]) operam dedit: quod quidem quo iure fecerit tum cum de metris Horatianis fusius quaeremus ostendemus. In quarto carminum libro metrorum varietatem, unum si XIV et XV carminum exemplum eodem stropharum genere scriptorum exceperis[2]), ubique servavit poëta; rerum vero varietatem neglexisse eum nemo dixerit qui quidem carmina Augusti honoris causa scripta II V XV, ad privignorum victorias celebrandas composita IV et XIV, carmina amatoria inter se simillima I et X locum obtinere secum reputaverit. Casu id factum esse, ut Schuetzio[3]) videtur, non credo. Ne tertiae quidem carmina digerendi causae quae ad homines ad quos carmina data sunt spectat in libro quarto vestigia frustra quaesiveris. Nam et carmini XV in Augusti meritis versanti ultimum omnium carminum locum ipsum quoque praecipuum Horatius attribuit et in primo quarti libri carmine inest aliquid officii erga Augustum. Nam hoc carmen datum est ad Paulum Fabium Maximum maritum Marciae Augusti consobrinae filiae Atiae minoris cuius soror Atia maior Augusti mater erat; qui quam familiaris Augusto fuerit ex eo apparet, quod Tacitus[4]) Augustum paucis mensibus ante decessum comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum ad visendum Agrippam Postumum auctor est. Quod elegantissime coniecit Kiesslingius[5]) Horatium Venerem carmine orare, ut futuris Fabii cum Marcia nuptiis propitie adsit, minus certis argumentis nititur, quam ut probandum videatur. Sed tantum abest ut his omnibus rebus magnam vim tribuamus ad tempora carminum definienda, ut Teuffelium[6]) recte indicasse arbitremur tradito ordine quaestionem de temporibus carminum non tam adiuvari quam perturbari.

Ne id quidem adducimur ut credamus quae supersunt Horatii carmina sola esse quae pepigerit. Luce clarius est Horatium aeque atque alios poëtas in libris colligendis ea carmina quae aut indole sua non satis digna aut aliis de causis non idonea existimaret quae memoriae traderentur in poëmatum corpus non recepisse. Quod qui negant non audiendi sunt; potius eorum accipienda est sententia qui quod res ipsa docet causis insuper additis confirmant, cum ostendunt ab Horatio mentionem fieri carminum quae in eis quae codices tradunt non inveniuntur Fuerstenaui[7]) aliorum. Grotefendius[8]), quamquam ab hoc indicio non abhorret, tamen hac in re erravisse putandus est. Cuius si temporum definitiones consideraveris, te non praeteribit studuisse eum singulis annis quaterna carmina adscribere. Num numero carminum quae singulis annis adsignentur moveri potest qui non omnia carmina a poëta editione dignata esse concesserit?

Cum vero ad hunc locum ventum sit, non alienum videtur esse disserere de scriptione et editione carminum Horatii quo differant inter se. Quas res non bene distinguit R. Bentleius[9]) qui et ex aliorum poëtarum et ex ipsius Horatii carminibus studet contendere Horatium non sparsas eclogas sed integros libellos semel simulque in lucem edidisse. Coniunctos libellos quin ediderit

---

[1]) Philologische Untersuchungen herausgegeben von A. Kiessling und U. v. Willamowitz-Moellendorff. 2. Heft. Zu Augusteischen Dichtern. Berl. 1881. Horatius. I. Zur Chronologie und Anordnung der Oden. p. 63 et sqq.

[2]) Carmina 14 et 15 (sicut libri tertii carmina 1—6) Christius indicat poëtam coniunxisse, ut ea carmina artius quam cetera inter se cohaerere et conexa esse significaret (F. H. epicr. p. 11 adn. 7).

[3]) Q. Horatius Flaccus. Erklärt von H. Schütz. I. 2. Aufl. Berl. 1880. p. 257.

[4]) Ab excessu divi Augusti I, 5.

[5]) De Hor. carm. inscr. p. 5.

[6]) Prolegomena zur Chronologie der Horazischen Gedichte. Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft IX. 1842. Darmstadt 2. c. p. 1111.

[7]) De carminum aliquot Horatianorum chronologia. Marburgi Hassorum 1838. cap. I. p. 7.

[8]) Horatius. Ersch und Grubers Encyclopädie. II, 10. 1833. p. 460 b.

[9]) Horat. Bentl. I. praef. XIX.

Horatius, quis est qui dubitet? Neque vero quicquam impedit, quominus singula poëmata antequam in libros colligerentur separatim in vulgus edita esse statuamus. Quod non refutatur causis quas Bentleius adfert. Immo vero Kirchnerus qui maxime Bentleii sententiae adversatus est certissimis docet argumentis ea carmina quae certum quoddam consilium sive tempus spectent, antequam in libros redacta sint, publici iuris facta esse. Quid quod idem Kirchnerus singulos versus quorundam carminum ad alia eiusdem libri carmina spectare docuit! Optimo igitur iure Kirchnerus dubitari non posse arbitratur, quin plurimae eclogae statim ab origine sua singulae fuerint emissae[1]).

Maioris etiam momenti atque ponderis ad tempora libri quartí carminum recte definienda altera illa est quaestio utrum Horatius carmina collecta in librum redigens omnia carmina quae quidem servari vellet in eum quem collegit librum receperit necne. Hoc si demonstrari poterit, inde efficitur nullum quarti libri carmen confectum esse, antequam tres primi libri carminum editi sunt. Quidquid prius scriptum est, aut in horum librorum corpore inesse aut prorsus reiectum esse necesse est. Quamquam non defuere qui Horatium, cum aliis temporibus aliter sentiret, carmina antea spreta sequentis libri poëmatis adiunxisse crederent, tamen nobis quidem satis persuasit Teuffelius[2]) horum sententiam a vero longe abhorrere. Et idem quod Teuffelio ex ipsa natura carminum Kiesslingio[3]) videtur colligi posse ex numero 38 carminum quae primus liber habet; qui numerus quod adeo non congruit cum 10 sermonibus prioris libri 10 epistolis prioris libri 20 carminibus secundi 30 tertii libri — quos numeros voluntati non casui attribuendos esse elucet — quid causae esse potest, nisi quod Horatius in corpore trium priorum librorum ullum carmen quod ad id tempus fecerat omitti noluit?

Sed ex iis quae adhuc disseruimus haud ita multorum carminum tempora definire possemus, nisi huc accederet quod in Horatii carminibus et rerum saepissime mentio fit illis temporibus apud Romanos aliasque gentes gestarum et ipsius poëtae res atque vita non raro tanguntur. Qua re valde adiuvamur in persolvenda quaestione quam nobis proposuimus. Itaque diligenter perquirendum erit quae quoque in carmine res commemorentur et investigandum quid de eisdem rebus tradant rerum scriptores aliique quibus historia nititur. Cavendum vero, ne plus colligas quam colligere licet. Ex eo quod aliqua res in certo carmine commemoratur, utique hoc unum colligi potest hoc carmen post illam rem exaratum esse: quanto post confectum sit num etiam hoc concludi possit quaeritur et in unoquoque carmine severissime quaerendum est. Atque quemadmodum poëtae vitae descriptio et imago carminibus illustratur, sic carminum tempora eis rebus quae de vita poëtae traditae sunt passim constitui et emendari possunt.

Adde quod etiam forma carminum Horatianorum ad eorum tempora definienda pertinet. Nam res ipsa docet etiam in Horatio ingenii et artis incrementa statuenda esse quibus in rebus exornandis et digerendis in genere dicendi emendando denique in metris conformandis et expoliendis profecerit et quasi gradibus ad summum perfectionis cacumen processerit. At hac in re omne cautionis genus adhibeas apud Horatium maxime necesse est. Nam multa carmina, ut supra demonstravimus, in librorum suorum corpora non recepit atque inprimis ea quae ab adulescentulo confecta iudicio poëtae exculti non satisfacerent. In iis vero quae supersunt carminibus iudicandis quam diversa statuerint clarissimi interpretes nemo ignorat. Ne ex metrorum quidem genere et

---

[1]) Quaest. Hor. § 12—14. pag. 6 sqq. Cfr. quae consentientia cum Kirchnero disseruit Christius, fast. H. epicr. p. 7.

[2]) Proleg. 2d. p. 1111 et sqq.

[3]) Zur Chr. u. A. d. O. p. 73 sq.

versuum structura quicquam certi concludi potest de carminum aetate. Ritschelii comprobanda est sententia qui in quaestione nostrae simillima de Stichi fabulae Plautinae tempore in eiusdem rebus certam auctoritatem non inesse monet[1]). Magis utiles sunt eae ad tempora aliunde definita confirmanda, quam ad tempora carminum definienda. Atque cum in aliis tum in hac disputatione multum interest argumenta pro gravitate collocari et cavendum ne maximi momenti argumenta minimis postponantur.

Quae cum ita sint, primum quaerendum erit quod tempus significetur rebus in carminibus libri quarti commemoratis, deinde quae inde collecta sunt comparanda cum iis quae de libro quarto Suetonius refert et quae ex eius testimonio concludi possunt, postremo in formam inquirendum erit carminum num ea indicetur idem tempus quod rationibus ante spectatis.

I.

Carmen primum de tempore originis ipsum adfert notam. Desine, implorat poëta matrem saevam Cupidinum, circa lustra decem deflectere mollibus iam durum imperiis; unde efficitur circiter id tempus quo Horatius quinquagesimum annum aetatis implevit h. e. a. d. VI. Id. Decembr. a. 739 hoc carmen exaratum esse. Quod bene viderunt editores et qui in hanc rem inquisiverunt; investigaturi autem, quanto ante aut post hunc diem carmen sit confectum, dissentiunt inter se. Ante exactum decimum lustrum carmen compositum esse censent Grotefendius[2]) et Obbarius[3]), Frankius[4]) autem veretur, cum prologus sit carmen, ne confecto demum libro anno 741 omnium postremum exaratum sit. Sed non est cur tantum ab illis decem lustris discedamus, praesertim cum prologos librorum post cetera libri carmina a poëta compositos esse non constet. Contenti simus eo quod in dubium vocari non potest circiter quinquaquinta annos natum poëtam primum carmen scripsisse. Paulum Maximum (v. 10. 11.) de quo supra disseruimus complures editorum inter quos Ritterum[5]) Dillenburgerum[6]) Schuetzium nominare satis habemus non consulem anni u. 743, sed eius filium intelligendum esse suspicantur.

X. XI. XIII.

Perinde in decimo undecimo tertio decimo carmine res amatoriae tractantur. Carmine decimo poëta eundem puerum Ligurinum alloquitur de quo est in carmine primo, undecimo Phyllidem libertinam invitat ad agendum diem natalem Maecenatis amici, Lycen vetulam in carmine tertio decimo acerbis facetiis inridet. Quibus Horatii amoribus frustra operam dederunt homines docti ut lucem

[1]) Ritschl, die plautinischen Didaskalien (Parerga zu Plautus und Terenz. Leipz. 1845. Vol. I, IV. p. 268. —, „eine Warnung —, nicht mit Allgemeinheiten zu operieren, denen eine stringente Beweiskraft nicht einwohnen kann; als da sind — grössere oder geringere Vollendung der Charakteristik, der Anlage der Handlung, Abnahme der Laune und des Witzes, da doch hier die Möglichkeiten unberechenbar sind und zahlreiche Beispiele (namentlich aus der griechischen Dramatik) das Trügerische solcher Argumentation gelehrt haben".

[2]) Horatius p. 475 b.

[3]) Th. Obbarius. Q. Horatii Flacci carmina. Jena 1848. ad od. IV, 1.

[4]) Fast. Hor. p. 207.

[5]) Horatii carmina et epodi. ed. Franciscus Ritter. Lips. 1856.

[6]) Q. Horatii Flacci opera omnia recogn. Guil. Dillenburger. ed. IV. Bonnae 1867.

adferrent. Etiam Fuerstenau qui de Horatii amoribus scripsit libellum [1]) suspiciones aliquas se proferre confitetur quarum tamen veritatem non tam adfirmate contendat. Atque Kiesslingius queritur [2]), quod Horatii commentatores iterum atque iterum pueros puellasque quorum amores in carminibus insunt a poëta fictos esse inepte negant. Si demonstrari posset carmen decimum lusum poëticum non esse, sub idem tempus id confectum esse quo carmen primum inde colligendum esset; at hoc demonstrari non potest. Vergilii eclogam secundam in decimo carmine respici Duentzerus [3]) suspicatur qui Horatii v. 1 „o crudelis adhuc" cum Vergiliano v. 6 „o crudelis Alexi" et vv. 4. 5 „nunc et qui color est puniceae flore prior rosae mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam" cum ecl. 2, 17 „o formose puer, nimium ne crede colori" confert. Sed hac ex re nihil concludi potest, nisi post a. 713 quo illa ecloga composita est [4]) Horatii carmen decimum scriptum esse. Confectum esse censuerunt:

	Grotef.	Kirchn.	Frank.
carm. X a.	738	739	739
„ XI	738	738	738
„ XIII	738	736.	

II. V.

Carmen secundum et carmen quintum Augusto ab urbe absente scripta sunt. Qui a. 738 L. Domitio P. Scipione consulibus, ut Dio narrat [5]), cum aliis de causis tum ut Sygambros et Usipetes Tencterosque qui Rheno transmisso Germaniam et Galliam vastaverant et Lollium vicerant ulcisceretur. Barbari vero ut Lollium bellum parare et contra se proficisci audiverunt, indutias fecerunt. Aliis tamen in rebus constituendis et reficiendis consumpsit Augustus et hunc annum et insequentem qui fuit annus M. Libone Calpurnio Pisone consulibus. Postquam vero omnes res et in Gallia et in Germania et in Hispania composuit Druso in Germania relicto Tiberio et Quintilio Varo consulibus a. 741 Romam rediit. Utrumque igitur carmen intra 738 et 741 annos confectum esse necesse est. Nam in secundo carmine Julium Antonium [6]) a quo Augustum carmine Pindarico celebrare iussus huic rei non parem se esse dicit Horatius his alloquitur verbis (v. 33 sq.) „Concines (cum Augustus redierit) Caesarem, quandoque trahet feroces per sacrum clivum Sygambros".

---

[1]) De carm. al. Hor. chron. cap. VI. p. 53.
[2]) Z. Chr. u. A. d. Od. p. 76. 77.
[3]) Verg. u. Hor. p. 329.
[4]) Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. 3. Aufl. p. 461.
[5]) Dio. (ed. Bekker) II. p. 65 (54, 19).
[6]) Ad Julium Antonium Antonii triumviri filium, non, ut Schuetzio cum Peerlkampio (Q. Horatii Flacci carmina rec. P. Hofman Peerlkamp ed. 2. Amstelodami 1862) videtur ad Antonium Rufum hoc carmen datum esse mihi persuadetur inscriptione quae ei addita est in libris, quamquam eis adsentior qui in altero versu „Jule ceratis ope Daedalea" ab Horatio scriptum non esse arbitrantur. Quod Peerlkampius coniecit pro „Jule": „ille" in editionem maiorem (Q. Horati Flacci opera recensuerunt O. Keller et A. Holder Lips. 1864) non receptum probavit Kellerus Epilegomenis Horatianis (Epilegomena zu Horaz. Erster Theil. Leipz. 1879. p. 297) atque etiam Nauckius in editione nona (Lips. 1876) Petschenig (Q. Horati Flacci carmina. Scholarum in usum ed. M. Petschenig. Pragae et Lipsiae 1883) L. Muellerus (Q Horatii Flacci carmina. Oden und Epoden des Horaz. Mit Anmerkungen von Lucian Mueller. Giessen 1882). Kiesslingius (Q. Horatius Flaccus, Erklärt von Adolf Kiessling. I. Theil. Oden und Epoden. Berl. 1884. cfr. d. H. c. i. c. p. 7) secuti

Quintum carmen totum id spectat, ut Augustum absentem iam nimium diu in patriam revocet. Sed vide num tempus carminum inter illos cancellos annorum 738 et 741 inclusorum exactius definiri possit. Quinto carmine poëta hostes nominis Romani qui Augusto regnante victi sunt enumerat (v. 25):

„Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis Germania quos horrida parturit
Fetus incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Hispaniae?"

In secundo autem carmine soli Sygambri commemorantur ab Augusto per sacrum clivum tractum iri. Hac ex re colligitur statim post nuntium de victis Sygambris allatum a. 738 vel initio a. 739 carmen secundum compositum esse. Nam si postea confecisset poëta, ceteras Augusti absentis res gestas Galliam et Hispaniam pacatam non omisisset, atque etiam si post victorias a Raetis et Vindelicis per Drusum et Tiberium reportatas, has res Caesaris laudi adiunxisset. Nam harum quoque victoriarum Augustus praedicatur auctor IV, 4, 25 et IV, 14, 33.

In iis quae disseruimus secuti sumus Frankium [1]) cui adstipulantur Grotefendius [2]) Schuetzius alii. Sed certis argumentis hanc definitionem non niti neminem praeteribit, cum etiam post Raetos et Vindelicos victos Horatium unam Sygambrorum cladem ut ipsius Augusti opera effectam celebravisse credi possit. At hoc argumento freti qui anno 741 hanc oden attribuunt Kirchnerus [3]) et alii non videntur digniores esse quibus adsentiamur quam qui anno 738/9. Quamobrem nobis probatur quod dubitari non potest intra annos 738 et 741 carmen secundum exaratum esse.

Eisdem annis quintum carmen inclusum praeterea duas temporis notas continet. Cum nimium diu Augustum abesse Horatius dicat (v. 2), brevi post eius discessum carmen confectum non esse patet. Idem docent quas gentes affert poëta victas: Parthi Scythae Germani Hispani quorum nominibus sine dubio significat ea quae ab Augusto ipso in Hispania, a privignis contra Raetos et Vindelicos gesta sunt. Utrum vero anno ante Augusti reditum 740 an ipso reditus anno 741 carmen exaratum sit, mea quidem opinione diiudicari non potest. Quod Frankius [4]) carmen ex ea re annum 741 antecedere colligit, quod initio eius anni de proximo imperatoris reditu Romae iam constitisse verisimile sit, hac re non moveor. Augustus enim in urbem rediit a. d. IV Non. Jul. quo die aram Pacis quam ob Augusti reditum senatus aedificandam curavit constitutam [5]) esse testatur Kalendarium Amiterninum [6]). Quae cum ita sint, non est cur nuntium de reditu Augusti iam initio anni Romam pervenisse credamus, praesertim cum Augustus cum tumultu et pompa se excipi adeo non cuperet ut noctu urbem ingrederetur [7]).

sunt. Dillenburgerus (ed. VII. 1881) et Hirschfelder in editione sexta Horatii Orelliani (Berol. 1882) quamquam non receperunt „ille", tamen ita legendum esse censent. Christius (epicr. p. 25) Julle in codicibus Parisinis φ et ψ exaratum ex plena forma Julie deformatum Horatio reddendum esse putat. At Hirschfelder (Bursians Jahresbericht VII, 2 (18) 1879. p. 110) talem vocativi formam neque apud scriptores inveniri neque i vocalem in consonantem durari nisi post syllabam brevem apud Horatium bene monuit. Attamen Peerlkampii coniectura Horatii verba non restitui puto; de qua re videatur infra.

1) F. H. p. 206.

2) Horatius p. 476.

3) Tabula chronologica Horatiana (quae subiungitur quaestionibus Horatianis).

4) F. H. p. 117. Eidem anno 740 carmen attribuunt Grotefendius (Horat. p. 476 a). Kirchnerus (Q. H. p. 33) Obbarius Schuetzius.

5) Dion. LIV, 25.

6) Orelli inscr. II. p. 394. cfr. Fischer, röm. Zeittafeln. Altona 1846. p. 407 sqq.

7) Dion. LIV, 26.

III.

Carmine tertio celebrat Horatius Melpomenen musam quae ipsum nascentem placido lumine viderit: quodcunque gloriae et laudis pepererit musae se debere fingit, eius muneris esse quod a Romae subole inter amabiles vatum choros ponatur, quod monstretur digito praetereuntium. „Quod spiro“, inquit, „et placeo, si placeo, tuum est“. Quas sententias cum poëta cum sui quadam aestimatione et cum gravitate pronuntiet, ex eo effici arbitrati sunt homines docti, ut post magnum honorem sibi tributum poëta hoc carmen pepigerit. Qua de causa Grotefendius[1]) et Frankius[2]) id confectum esse coniecerunt, cum Horatio illud mandatum carminis saecularis componendi factum esset h. e. a. fere 737, Kirchnerus[3]) vero ad a. 742 profert hoc carmen et Obbarius omnium ultimum esse censet. Alteram utram sententiam ut probem animum inducere non possum, nam in eiusmodi argumentis nil certi inesse patet. Illud solum pro certo habendum est ei tempori carmen deberi quo poëtae libri magis magisque innotescere et laudari coepti sunt h. e. posterioribus aetatis annis quibus quartum librum emissum in lucem esse apud Suetonium scriptum videmus. Perinde Eckateinius qui de hoc carmine disputavit in scholis Horatianis[4]) temporis ullum vestigium adesse negat.

IV. XIV.

Quartum carmen quarti libri et quartum decimum scripta sunt ad celebrandas Drusi et Tiberii victorias a Raetis et Vindelicis reportatas quem ad finem Horatium totum librum per Augustum compulsum edidisse Suetonius tradit. Quorum bellorum historia cum potissimum Strabone Velleio Paterculo Cassio Dione auctoribus nitatur, eorum ex libris haec proferre non alienum videtur esse.

Strabo (IV, 6) *πάντας δ' ἔπαυσε — Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος θερίᾳ μιᾷ*“.

Vell. Pat. (II, 95) Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli mole experiri statuit adiutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio — quippe uterque divisis partibus Raetos Vindelicosque adgressi — gentes — perdomuerunt.

Cass. Dio (LIV, 22 a. u. 739) *'Ραιτοὶ οἰκοῦντες μεταξὺ τοῦ τε Νωρίκου καὶ τῆς Γαλατίας πρὸς ταῖς Ἄλπεσι, ταῖς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ ταῖς Τριδεντίναις, τῆς τε Γαλατίας τῆς προσόρου σφίσι πολλὰ κατέτρεχον καὶ ἐκ τῆς Ἰταλίας ἁρπαγὰς ἐποιοῦντο — δι' οὖν ταῦτα ὁ Αὔγουστος πρῶτον μὲν τὸν Δροῦσον ἐπ' αὐτοὺς ἔπεμψεν καὶ ὅς τοὺς προαπαντήσαντάς οἱ αὐτῶν περὶ τὰ Τριδεντῖνα ὄρη διὰ ταχέων ἐτρέψατο —. ἔπειτα δὲ ἐπειδὴ τῆς μὲν Ἰταλίας ἀπεκρούσθησαν, τῇ δὲ δὴ Γαλατίᾳ καὶ ὡς ἐνέκειντο, τὸν Τιβέριον προςαπέστειλεν, ἐςβαλόντες οὖν ἐς τὴν χώραν πολλαχόθεν ἅμα ἀμφότεροι — κατέπληξαν αὐτούς*[5]).

Eorum qui de horum carminum temporibus disputaverunt opiniones in duas partes abeunt, nam Bentleius Kirchnerus Frankius quartum et quartum decimum carmen ad diversas res referenda esse iudicant, Janius et Fuerstenau ad eandem.

---

[1]) Horat. p. 475 b.
[2]) F. H. p. 218.
[3]) Tab. chron. 742.
[4]) Programm der Thomasschule in Leipzig 1868/69. p. 33 sqq.
[5]) cfr. Vell. Pat. II, 39. 122. Sueton. Claud. 1. Octav. 21. Liv. epit. 136.

Bentleius[1]) ad carm. IV, 4, 17 profert haec: Quae in editionibus vetustis concipitur lectio et in recentioribus plerisque: „Videre Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici" falsa est, quod Raetos et Vindelicos inter se diversos fuisse multi boni scriptores tradiderunt. Qua de causa Dacerius emendavit: „Videre Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem et Vindelici", sed neque ullus liber paulo vetustior coniunctionem „et" agnoscit et historia ipsa refragatur. Non enim Raeti et Vindelici videre Drusum bellantem; quippe Drusus Vindelicos tantum, Raetos Tiberius adgressus est. Paterc. II, 95. Horat. carm. IV, 14, 4. Quamobrem certam huius loci scripturam ex coniectura invenire Bentleius studuit: „Videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici" quam coniecturam etiam codicum auctoritate comprobatam, codex enim optimus Torrentii et veterrimus Graevianus „Retii" habent quod a „Retis" scribarum errore fluxisse videtur, antea iam Nic. Heinsius proposuerat.

Janius[2]) Horatium Drusi Tiberiique victoriam laudare et celebrare iussum ab Augusto huius libri quartum et decimum quartum neque tamen prius quam anno u. 741 post Augusti reditum composuisse censet; quorum illud proprie ad Drusum, hoc potissimum ad Tiberium pertinere. In carmine quarto Drusum victorem cani contendit Raetorum simulque Vindelicorum reiecta Bentleii sententia qui ex Velleii verbis: „uterque divisis partibus Raetos Vindelicosque adgressi" collegit Drusum cum Vindelicis tantum, cum Raetis Tiberium pugnasse, quia id in his Velleii verbis non insit, quia alio Velleii loco (II, 122) Tiberius Vindelicorum Raetorumque victor appelletur et quia Raetos et Vindelicos foedere artissimo inter se iunctos fuisse neque separatos sed sociatos commixtosque exercitus habuisse plane appareat. Ea ipsa de causa, quod socii fuerint eo in bello Raeti et Vindelici, poëtae fuisse pro utroque populo alterutrum nominare. 4, 18. 14, 9. 15. nam Genaunos et Breunos hic commemoratos ad Raetos potius quam ad Vindelicos referendos esse propter Plin. III, 20.

Grotefendius[3]) carmen 4 a. u. 740, 14 post Augusti ex Hispania Gallia Germania reditum a. 741 exaratum fuisse putat.

Kirchnerus[4]) praesertim Janii sententiae repugnans Vindelicos, inquit, a Druso, Raetos a Tiberio potissimum devictos Horatius ipse indicat 4, 17 ubi Bentleii emendatio accipienda est. Atque idem in carmine 14 Vindelicos a Druso non semel, sed „plus vice simplici" h. e. vere et aestate[5]) devictos esse demonstrat, contra Raetos a maiore Neronum Tiberio paulo post gravi proelio esse pulsos. Nam Genaunos et Breunos Vindelicorum partes fuisse et Horatius ipse c. 14 et Ptolemaeus (Geogr. II, 13) testis est et Strabo 54, 206 B. Quod vero Plinius N. H. III, 24 Breunos et Genaunos in gentibus quidem Alpinis sed non proprie in Vindelicis numerat, inde patet non satis inter aequales hac de re constitisse. Dionis autem contrarium testimonium non exstat, nam is ex usu posterioris aevi loquitur quo Vindelica etiam sub communi Raetiae provinciae nomine comprehendebatur. Quamobrem ode 4 illo ipso anno 739 statim post nuntium de Drusi victoriam allatum ab Horatio composita est; nam paucis post Drusi victoriam mensibus carmine composito Horatius Tiberii animum graviter laesisset, anno 741 demum cum quarta decima ode scripta Drusum bis uno tempore ob eandem rem celebrasset.

---

[1]) I, 239.

[2]) Ut refert Fuerstenau p. 35 et sqq.

[3]) Horatius p. 475 b.

[4]) § 60. p. 32 et sqq.

[5]) Rectius hunc locum interpretatur Porphyrio (ed. Meyer p. 140): „vult intelligi in vastandis his non tantam illis cladem intulisse, quantam ipsi dederant, sed duplam. hoc est enim „non simplicem vicem reddentem".

Fuerstenau[1]) terrarum et gentium Alpinarum situ diligentissime perquisito colligit haec: Drusus vere anni 739 fudit ad Alpes Tridentinas Raetos. Sed Augustus Drusum longius etiam progredi iussit misitque ei in auxilium Tiberium fratrem. Drusus transgressus per montem Apenninum pervenit ad Breunos et Genaunos et vicit eos, quos initio pro Illyriis habitos ad Vindelicos pertinere posterioribus temporibus intellexerunt Romani. Tiberius adversus eas gentes Raeticas profectus erat quae regiones hodie „Graubündten" appellatas habitabant. Secutus Rheni alveum vicit Licatios et Clautinatios gentes Vindelicorum. Quamobrem illam Janii sententiam utrumque carmen ad unum idemque facinus et ad unum eundemque annum pertinere atque in utroque Drusum victorem tam Raetorum quam Vindelicorum cani accipiendum esse arbitratur Fuerstenau. Nam carmen 4 post bellum secundum quod Drusus simul cum fratre contra Raetos et Vindelicos gessit scriptum et ad id referendum esse apparet ex ipso versu 17 ubi legendum est Raeti numero plurali addita particula „et" post voc. „gerentem". Bentleii enim coniectura „Raetis" absurda est, cum appareat, ubi situm et sedes Raetorum et Vindelicorum respexeris, neminem ex Italia venientem cum Vindelicis pugnare potuisse, nisi antea Raetis bellum intulerit, neque Vindelicos Drusum sub Raetis Alpibus bellum gerentem videre h. e. ab eo vinci potuisse, nisi simul etiam contra Raetos profectus fuerit. Utrumque carmen uno eodemque tempore confecta esse non dubitat F.; veri similius tamen esse putat iam fini a. 739 vel certe initio insequentis ea tribuenda esse, cum illarum a fratribus Neronibus reportatarum victoriarum recens adhuc esset memoria.

Frankius[2]) Fuerstenaui libelli ratione non habita sequitur Kirchnerum.

Atque nos quoque Fuerstenaui dubitationibus, ut a Kirchneri sententia digrediamur, non commovemur. Nam Bentleii illa coniectura extra dubium est; quam ad emendationem praeter alias res Bentleium etiam deduxit Horatiani stili indoles. „Noveram enim", inquit[3]), „Nostrum nunquam illud sub Alpibus sic inornate et nudum prolaturum fuisse". Cui rationi male adversatur Kellerus[4]), cum „Alpibus" apposito non indigere eo comprobare studet, quod Lucani 1, 302 adfert „Hiemesque sub Alpibus actae". Apud Horatium frustra tale quoddam exemplum indagavisset vir doctus. Eidem Vindelicos in numero Raeticarum gentium habuisse Horatium verisimile videtur esse et hac de causa placet: „Videre Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici". At Romanos Horatii temporibus multis incursionibus illarum gentium factis et proeliis commissis inter Romanos et Vindelicos optime distinxisse Middendorfius[5]) docet compluribus locis allatis quibus Strabo Horatii aequalis internoscit inter Raetos et Vindelicos et gentes enumerat alteriutri horum populorum attribuendas (Strab. IV, 6, 8. VII, 1, 5. IV, 3, 3. VII, 5, 1). Idem Middendorfius accuratissime comparans quae de eo bello tradiderunt scriptores veteres cum illarum gentium sedibus quomodo fieri potuerit ostendit, ut sub Raetis Alpibus Vindelici vincerentur, et ita eorum sententias refutavit, qui hac in re offendunt, Fuerstenaui qui ex gentium Alpinarum situ contendere studet rem ita sese habere non potuisse, ut Horatius tradat, et qui in editione Horatii carminum nuper evulgata praecipuam carminum temporibus stabiliendis operam dat Schuetzii. Qui ea de causa Bentleii

---

1) d. c. al. H. chr. p. 33 et sqq.
2) Fast. Hor. p. 210 sqq.
3) I, 240.
4) Epilegomena I, 308.
5) Über einige Stellen in Horazens Oden und besonders über die 4. und 14. Ode des 4. Buches in Beziehung auf den vindelikisch-rätischen Krieg. Progr. des Kgl. paulinischen Gymnas. in Münster i. W. 1861. p. 9 sqq.

coniecturam non recepit [1]), quod ne ea quidem recepta quae fuerit res dilucidum esse putat. Atque qua de causa quod Schuetzius defendit: „Videre Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem et Vindelici“ quarti libri metrorum usui repugnet, tunc ostendemus, cum de metris Horatianis quae ad argumentum nostrum pertinent proferemus. Quod vero Schuetzius Drusum ex Italia secundum Athesim ad Alpes Raetas procedentem non in Vindelicos solum, sed etiam in Raetos neque in Vindelicos nisi Raetorum socios incurrere potuisse arbitratur, animadvertendum est hoc non inesse in Horatii verbis solos Vindelicos Drusum bellum gerentem vidisse. Praeter ceteros hostem vident qui cum hoste bellum gerunt. Quominus vero censeamus catervas quasdam Vindelicorum Genaunos Breunos alios pagos incursione in Italiam facta secundum Athesim flumen domum redeuntes sub Alpibus Tridentinis quae sine dubio in numero Alpium Raetarum habendae sunt a Druso victas esse a Raetis non adiutas, quid impedit?

Quamobrem in verbis constituendis Bentleium secuti cum Kirchnero carmen IV. a 739 statim post nuntium de Drusi victoria allatum confectum esse pro explorato habemus. Eidem anno Schuetzius attribuit carmen.

Vergilii a. u. 735 mortui imitatio [2]) ad huius carminis tempus definiendum nihil pertinet.

Cum plerisque carmen XIV. a. 741 post reditum Augusti quem praesentem a. poëta laudari cum aliae res tum v. 43 significant exaratum esse putamus.

VI.

Anno 737 Horatius ab Augusto iussus carmen saeculare scripsit cuius προοίμιον carmen sextum quo ante ludos agendos ab Apolline petit, ut carmen suum tueatur, et virgines puerosque hortatur, ut carmen saeculare rite canant, recte nominatur et hac de causa ipsi illi anno 737 addicitur [3]). Poëtae Apollinem alloquentis v. 21—24 animo obversatos esse Verg. Aen. I. v. 258—60 suspicatur Duentzerus [4]).

VII.

Carmen septimum temporis indiciis plane carere Frankius adnotat et Kirchneri Weicherti Grotefendii ad annum 738 aut sequentes carmen referentium confidentiam miratur. Ad C. Nonium Asprenatem, ut Schuetzius cum Frankio et aliis suspicatur, carmen datum non esse inscriptionibus docemur, quae Manlii Torquati nomen exhibent. Sed de eo Manlio Torquato causarum patrono, si quidem ep. I, 5 ad eundem missa est, nihil traditum est in quo temporis indicium inesse videatur.

VIII.

Octavum carmen utrum ab ipso Horatio exaratum sit necne tantopere dubitatum est, ut ab aliis plane reiciatur, ab aliis totum vel maximam partem defendatur. Jam Bentleius offendit ad

---

[1]) Q. H. Fl. I. p. 260.

[2]) Duentzer (Verg. u. Hor. 329) confert 4, 14 et sqq. cum Verg. Georg. III, 187 sqq. 4, 53 sqq., cum Verg. Aen. I, 67 sq. II, 293 sqq. III, 156 sqq.

[3]) Grotef. Horat. 475 b. Schriftsteller. Laufb. 27. 31, 144. Kirchn. tab. chr. 737. Obbarius p. 290. Schütz 267.

[4]) Verg. u. Hor. 328 et sq.

diaeresin post sextam syllabam v. 17 omissam: „non incendia Karthaginis impiae". Quicunque viri docti legi illi a Meinekio et Lachmanno inventae systematum quaternis versibus constantium adstipulantur duos vel sex pluresve ex 34 versuum numero eiciendo vel totum carmen Horatio abiudicando illius legis auctoritatem servare student. Plerique vero illum versuum 17—20 errorem qui aut Carthaginem a Scipione Africano maiore deletam aut Scipionem Africanum minorem a Calabris Pieridibus h. e. ab Ennio laudatum esse perhibent Horatio indignissimum esse arbitrantur. Quas suspiciones easque quas eis addiderunt A. Kiesslingius „commentatione Horatiana de carm. IV, 8 [1])" et Schuetzius in priore carminum editione exactissimo et cautissimo iudicio examinavit J. Haeussnerus libello quem de Horatianorum carminum libri quarti octavo [2]) scripsit. Atque ostendit is quae in carmine octavo minus apte dicta sint minime eicienda neque totum carmen Horatio abiudicandum esse meo quidem arbitrio ita, ut de hac re non iam dubitari possit. Neque dubitavit qui post Haeussnerum de ea re disseruit Kellerus in Epilegomenis [3]), atque ne Kiesslingius quidem in sententia sua laudes Censorini post Horatii demum mortem conceptas esse [4]) perseverat, cum libello a. 1881 de carminum Horatianorum temporibus et ordine edito carmen ad Censorinum datum ex libro quarto tolli vetat [5]) aliis sane causis atque Haeussnerus commotus.

Kirchnerus carmen octavum retulit ad a. 742 [6]), Grotefendius ultimum Horatii carmen esse suspicatur et post c. XV a. 744 confectum scriptum esse [7]). De causis definitionis neque Kirchnerus neque Grotefendius rationem reddunt, neque sunt causae, ut recte Frankius [8]) de tempore odae nihil plane liquere censeat.

IX.

Carmen nonum M. Lollii laudes continet quas nunquam interituras esse poëta illustrat heroum et virorum a poëtis Graecis celebratorum exemplis. Cuius clades illa a. 738 in Germania accepta cum in v. 34 et sqq.

Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus

respecta videatur, hac ex re carminis tempus definire student viri docti. Grotefendius [9]) a. 739, Frankius [10]) aut a. 738 aut insequenti tribuit carmen. Obbarius [11]) a. 738 id compositum esse

---

[1]) Index schol. in un. litt. Gryphiswald. per sem. hib. 1874/75 habendarum.
[2]) Beilage zum Progr. des Gymnas. zu Freiburg i. B. 1876.
[3]) Epileg. I, 326 sqq.
[4]) Com. Hor. de c. IV, 8. p. 6.
[5]) Zur Chron. u. Anordn. d. O. 73. Christius (epicr. p. 25) recepta quam Madvigius in optimis codicibus invenit lectione v. 15. „post mortem ducibus non celeris fuga" versus 17 et 28 eiciendos esse arbitratur.
[6]) Kirchn. tab. chronol.
[7]) Horatius p. 476 a. In libello, qui „Schriftstellerische Laufbahn des Horaz" inscribitur, cum multis aliis in rebus tum in eo profert discrepantia ab illo libro Grotefendius quod carmen VIII. a. ante Chr. n. 15 vindicat (p. 31, 154).
[8]) Fast. Hor. 220.
[9]) Horatius p. 476 a. Schriftst. Laufb. p. 28. 31, 153.
[10]) F. H. 220.
[11]) Q. H. Fl. carm. p. 297.

putat, quia hoc anno (secundum Dion. 54, 20) Lollius copiis coactis cum Augusto Germanos pacavit et coegit, ut obsides redderent. Nauckius[1]) post a. 16 a. Chr., Schuetzius[2]) paulo post cladem Lollianam carmen confectum esse arbitrantur. Qui omnes vereor ne nimia fiducia usi statuerint. Nam illis dubiis temporibus v. 36 cladem Lollianam significari minime constat. Eodem iure dixerit quis ex „secundis temporibus" (v. 35) concludi posse carmen confectum esse, postquam Lollius haud scio quam rem bene gesserit. Ut vero clades illa in carmine nono respecta hoc carmen praecesserit, unde viri illi docti sciunt, quanto? Vides in carmine certum indicium temporis non inesse nisi id quod v. 39 praebet: „consulque non unius anni", quo ostenditur quod nemo dubitavit non scriptum esse carmen ante annum 733 quo Lollius consul fuit.

XII.

Carmine duodecimo non poëtam Vergilium appellari non tam eo comprobatur, quod Vergilius a. 735 mortuus est, quam quod et totum allocutionis genus et nardi cadus (v. 17) studiumque lucri (v. 25) haud aptum est Vergilio poëtae. Non desunt quidem qui ad Aeneidos auctorem carmen scriptum esse arbitrentur. Henrico Duentzero[3]) non refutatum videtur ad poëtam Vergilium datum esse carmen XII in quo Vergilii bucolica identidem respiciantur:

Hor. carm. IV, 12, 5—8.	Verg. buc. VI, 78 sqq.
„ „ 9—12.	„ „ II, 31 sqq.
	„ „ III, 5. 55. VI, 4 sqq.

Dillenburger[4]) carmen scriptum esse putat a iuvene Horatio ad iuvenem Vergilium anno fortasse 714 vel 715. Anno 714 (a. Chr. n. 40) compositum esse carmen Schuetzius[5]) quoque censet, sed quam profert sententia libri primi c. III et libri quarti c. XII inter se mutata esse, ita ut „Sic te diva potens Cypri" quarto, „Iam veris comites" primo libro includendum videatur, adeo non veri similis est, ut aeque ac Duentzeri et Dillenburgeri causis non adducamur, ut a nostra sententia discedamus. Neque dubitaverunt ea de re Christius[6]) et Kiesslingius[7]). Qua re concessa haud multum interest ad quaestionem nostram, quinam ille XII carminis Vergilius fuerit. Neque quicquam certi ea de re explorari potest. Inscriptio codicum φ et ψ quorum communes lectiones Kellerus littera F signavit, ad Vergilium quendam unguentarium missum esse carmen exhibent, at suspicionem ex carmine ipso illud haustum esse auget, quod ceterorum codicum inscriptis de unguentario nihil traditur. Sed sive unguentarium illum Vergilium fuisse dicis, sive quod Pseudo-Acro et Schol. Cruqu. habent negotiatorem, sive medicum Neronum, ut est in glossa cod. V apud Vanderburgium, certum temporis indicium neque in hoc neque in illo inesse video. Missa igitur hac quaestione satis habeamus ex iis quae supra disseruimus concludere non esse cur carmen XII ante a. 735 confectum esse putandum sit.

---

1) Des Q. H. Fl. Oden u. Epod. 6. Aufl. p. 199.
2) Q. H. Fl. I. 2. Aufl. p. 274.
3) Verg. u. Hor. p. 328.
4) Q. H. Fl. op. omnia. ed. V. p. 271.
5) Schuetz. I, 2. Aufl. p. 48 sq. p. 279 sq.
6) Fast. Hor. epicr. p. 10.
7) Z. Chr. u. A. p. 52.

Frankius[1]) odam intra temporis cancellos quibus reliquae inclusae sint scriptam esse statuit. Kirchnerus[2]) anno 740 carmen adsignat, Grotefendius[3]) a. 738 confectum esse carmen suspicatur, quod invitet Vergilium poëtae sodalem qui apud Drusum et Tiberium versatus sit, priusquam in Raetia et Vindelicia bella a. 739 gesserint.

XV.

De quinti decimi carminis tempore qui disputant summam operam dant, ut quo tempore Jani templum tertium clausum sit ostendant. Cum enim pacis beneficia Augusti imperio Romanis tributa enumerat poëta, vacuum duellis Janum a principe clausum esse (v. 8) praedicat. Inde patere putaverunt illi, cum Janum ter Augusto regnante clausum esse constet[4]), postquam tertium clausum sit, hoc carmen compositum esse. Quo anno hoc factum sit, non satis constat, Massonum si sequeris a. 744, alios 748. Disserere de hac re longum est, nam nihil attinet ad tempus carminis nostri definiendum. Ut enim iam Frankius recte ostendit, neque hoc in carmine dictum est neque aliunde efficitur Horatium Janum tertium clausum illo versu significasse. Quem versum iam scribere potuit poëta, cum Jani templum primum ab Augusto clausum est[5]) (a. 725) neque aliud quicquam ea ex re concludi potest. Quae cum ita sint, aliae notiones temporis investigandae sunt. Recte Frankius poëma scriptum esse putat

a) post a. 734 ob v. 6 sqq.

Et signa nostro restituit Jovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus —

b) post a. 735 quo decretum est, ut leges ab Augusto latae Augustarum nomine insignirentur[6]) nam in v. 22 edicta Julia commemorantur.

c) post a. 736 ob v. 9 et sqq., ubi leges de pudicitia et de maritandis ordinibus a. 736 latae respiciuntur.

Quod vero deinceps verisimile ésse arbitratur Frankius carmen post reditum Augusti et hac de causa aliquanto post initium a. 741 exaratum esse, certis argumentis nititur nullis. Sententiarum similitudo inter nostri carminis vv. 31 et 32 et carm. saec. 49 et 50 de tempore communi horum carminum nil demonstrat; at quem hoc non praeteriit Frankium sententiae odae XV similes exeunti carmini XIV inducere non debebant, ut inde effici putaret quo tempore c. XIV eodem XV exaratum esse. Ne illud quidem, quod utrumque carmen in aliquot codicibus in unum coniungitur ullius momenti ad tempus carminis definiendum est. Multo facilius adducimur, ut carmina duo ob sententiarum similitudinem in unum corpus confusa quam unum et integrum carmen in duas partes dilapsum esse putemus.

Schuetzio[7]), qui v. 21 Dacos in Pannoniam trans Danubium ingressos et a. 745 una cum Pannoniis a Tiberio reiectos significari putat, verisimile est carmen unum ex ultimis, fortasse

[1]) Fast. H. p. 222.
[2]) Tab. chron. 740.
[3]) Horat. p. 475 b. cfr. Schriftst. Laufb. 151. 15 a. Chr.
[4]) Sueton. Aug. 22 „Janum Quirinum ter clusit".
[5]) cfr. Dion. 51. 20. Liv. I, 19. Vell. II, 38.
[6]) cfr. Dion. 54, 10.
[7]) I, 2. Aufl. p. 286 sqq.

omnium ultimum esse. Sed non esse videmus, cur Dacos potius quam Vindelicos a. 739 victos eos interpretemur qui profundum Danubium bibant.

Kirchnerus[1]) cum Massono a. 744 carmen attribuit, eidem[2]) vel insequenti[3]) Grotefendius, Obbarius[4]) anno 741.

Paucis complectamur quae ex singulorum carminum consideratione omni temeritate atque audacia amota a nobis collecta esse nemo negabit.

C. IV		a. 739	
VI		737	
XIV		741	
I	circa	a. 739	
V		a. 740	vel 741
II	intra	a. 738	et 741
IX	post	a. 733	
XV	post	a. 736	

confecta esse, in carminibus

III VII VIII X XI XII XIII

certa temporum indicia non inesse ostendimus. Quibuscum bene congruunt quae Suetonius de tempore carminum quarti libri tradit. Ab Augusto impulsus Horatius c. XIV a. 741 scripsit et cum eo carmina quae post tres priores carminum libros editos pepigerat[5]) in quarti libri corpus coniuncta edidit.

Campius[6]) quarti libri carmina non ab Horatio ipso collecta, sed post mortem eius edita esse omnibus rebus significari censet. Quod ad evincendum minime idoneae sunt res quas adfert. Nam et carmen primum carminis dedicatorii quod inter quarti libri carmina desiderari dicit vicem praebere supra[7]) demonstravimus neque in carmine octavo inest quicquam quo id ultra annum 741 proferre cogamur.

Anno 741 librum quartum editum esse Frankius[8]) quoque censet, Kirchnerus[9]) a. 744, Grotefendius[10]) a. 746.

Restat quod mihi ego extremum proposueram, ut de metris et de genere dicendi quae habeam enarrem, quid his in rebus intersit inter trium priorum et quarti libri carmina.

Elisiones minus elegantes quibus producta litera vocalis cum brevi copulatur quas vitant poëtae diligentiores nisi in tertio libro non inveniri apud Horatium, a quarto plane alienas esse

[1]) Quaest. p. 31.
[2]) Horatius p. 476.
[3]) Dicht. Laufb. 28. 31, 162.
[4]) p. 313 sqq.
[5]) cfr. quae de hac re supra (p. 5) disseruimus.
[6]) cfr. p. 1.
[7]) cfr. p. 14.
[8]) F. H. p. 76 sqq.
[9]) Quaest. p. 31 sqq.
[10]) Horat. p. 476 a.

adnotavit M. Hauptius[1]). Nam carm. II, 3, 11 huc non esse referendum, sed perverse eo loco a nonnullis legi

„ramis quo et obliquo laborat“

eidem Hauptio concesseris, sive eius coniecturam

„ramisque et obliquo laborat“

sequeris, sive cum Kellero[2]) retinebis, quod in permultis codicibus eisque non contemnendis inest

„ramis? quid obliquo laborat“.

Sed tribus eius elisionis exemplis quae Hauptius adfert: III, 4, 17. 4, 31. 5, 21. quartus locus videtur addendus esse: III, 27, 22 Austri et. Cumque Lehrsius[3]) quoque, qui editioni suae commentationem de synaloephis Horatianis praefixit et qui Lehrsium potissimum secutus est Waltzius[4]) non pauca omiserint, non videtur alienum esse colligere omnia exempla elisionum. En versus carminum in quibus elisiones reperiuntur ad syllabas ultimas digestos:

carmin. lib.	ă	ā	ĕ	ē	ĭ	ī	ŏ	ō	ae	am	em	um	Summa
I.	1,27 3,36 33,11 37,25		1,8 12,18 23, 8 2,14 15,12* 24,14 19 18* 20 51 25 25,14 6,5† 25 32, 9* 7 27 33,11† 12 16,18 34,4 7,6 21 4† 27 19,4 13 9,13 21,6† 15 10,15† 12† 35,10* 12,6 14† 36, 1 7 14 2 15 22, 2†			3,37 17,14 32,13 34,10	20,2	7,13 12,35 53 16,16 21.14 24 8 27,5 28,18		12,25† 16,14 15† 18,5 26,1 29,14 35,6	1, 3† 15 3,12 13† 29 8,16 12,34 13,15 19,13 34,13 35,22 29† 36,12	1,2 16,6 29,1 16† 21 31,6 29† 17,16† 32,9 2,9 19,11† 35,11 3,19† 20,9 25 38 21,13 33 6,13† 23,4 39 7,5† 24,8 10,10 27,2 12,1 28,10 11† 19 14 37	
vv. 876	4		41 († 8 que * 4 que et.)			4	1	8		7 († 2 a. br.)	13 († 3 a br.)	31 († 8 a. br.)	109
II	1,2 3,13 13 27 4,21 6,2 7,22 15,1 5 16,37	16,25	3,10 11,14 14,22† 4,10 12,6† 16,8† 7,24 28 26 28 13,1 17,12 8,10 15† 18,1† 10,1† 16 5† 11,10† 14,12 20,3†	3,6	4,1 13,33			1,25 2,23 4,7 19 7,17		3,10 13,13† 18,6 19,31	1,24† 12,26 13,4 6 17,5† 18,12† 20,23	1, 1 6, 1 13,33† 4† 2 15,11† 5 9,18 16,34 6† 11,21 17,2 2,7† 12,2 10 18 13,2 21 21 5 18,37 3,27 14 19,1 28 23† 4† 5,21 32† 20,2	
572	10	1	21 († 9 que)	1	2			5		4 († 1 a. br.)	7 († 3 a. br.	30 († 8 a. br)	81

[1]) Observationes crit. Opusc. I. p. 91 sq. cfr. Lachmann. Lucret. p. 66 et 219.

[2]) Epileg. p. 127 sq.

[3]) Q. Horatius Flaccus. Mit vorzugsweiser Rücksicht auf die unechten Stellen und Gedichte herausgegeben von K. Lehrs. Leipz. 1869. Die Verschleifung bei Horaz p. I—XXII. cfr. pp. II. XIII. XIV. XV. XX.

[4]) Des variations de la langue et de la métrique d'Horace dans ses différents ouvrages par Ad. Waltz. Paris 1881. p. 173— 176.

carmin. lib.	ă	ā	ĕ	ē	ĭ	ī	ŏ	ō	ae	am	em	um	Summa
III	1,31 4, 6 26 5, 7 18 9,19 16,13 21,21 22, 3 24,52 25, 2 26, 7 27,10	27,59	2,18 8,11 16,43 3,4† 9,6† 17,5 51 22 21,18* 62 22 19† 4,6 24 24,43 9 10,3 55 52 11,14 25,6 5,12 43† 8 27† 51 27,47 43 12,1† 28,4† 6,13 2 7 18 12 29,15 26† 14,11 33 35* 17 59 7.25 16,7 30,4 29† 10 7†	29,5 55	27,63 71	1,39 4,65 5,21† 12,11 14,10 27,22†	11,42 14,27 16,23	2, 5 30 31 3,24 33 4,1 17† 31† 59 5,26 6,22 8,3 12,12 16,8 14 17,2 21,13 23,20 27,46 29,34 46 49 30,3	4,78	2,1† 4,45† 60† 5,46† 7,18 13,14 21,3† 24,28 32 25,7 27,51 28,12 29,9 16 30,7	1,19 3,21 4,18† 37 49 67 8,10 13,5 16,31 23,7 24.31 31 40†	1,5 8,14 25, 8 6 9,24† 17 2,6 10,3 18 18 11,11 26, 9 3,1 39 27,21 2 47† 23 17 12,1 29 33† 5 39 41 14,11 47† 49 26 28.10 49 16,7† 29,3 71 30 5† 4,14† 41† 7 34† 18.1† 12† 36 19,7 17 41 20,14† 35 46† 21.13 50 49 20† 30,1 5,8† 20 2 10 24, 2 12 6,1 4 3 24 6 48† 18 36	
1004	13	1	48 (†10 que * 2 que et)	2	2	6 († 2 ante syll. br.)	3	23 († 2 a. br.)	1	15 († 5 a. br.)	13 († 2 a. br.)	68 († 16 a. br.)	195
IV.			1,13* 7.25† 13,21* 22* 8,12 14,24 2,18 9,7* 31* 22† 25 39* 23† 10,5 42* 4,31† 11,29 46* 52 12,20 15,14* 52 28 25* 72 28 31* 5,13* 13,4*			3,21	2,27	1,35 3,24		13,28		1,7 8,10† 12,20 3.24 16 14,33 4,2† 11,27† 15,10 5,22 12.7 6,11 8	
610			29 (†4 que *13 que et)			1	1	2		1		13 (†3 a. br.)	47

Atque primum quidem hoc interest inter priores tres carminum libros et quartum, quod numerus elisionum in hoc multo minor est quam in illis: octavus quisque versus libri primi septimus secundi quintus tertii, tertius decimus quisque quarti libri elisionem habent. Itaque in 32 versibus priorum librorum binae[1]) in uno tres elisiones[2]) admissae sunt cuius generis versus tres in quarto libro[3]) reperiuntur.

[1]) I, 15, 25. 16, 21. 24, 8. 32, 9. 33, 11. 34, 4. 13.
II, 3, 10. 13. 27. 6, 2. 13, 33.
III, 2. 13. 3, 33. 49. 4, 6. 49. 6, 18. 9, 22. 24. 10, 3. 12, 1. 12. 14, 11. 16, 7. 21, 13. 20. 24, 31. 25, 8. 27, 47. 29, 5. 30. 7.

[2]) I, 21, 14.

[3]) IV, 3, 24. 4, 52. 12, 28.

Jam elisionibus longarum syllabarum ultimarum ante longam quamquam non abstinuit prorsus in libro quarto, tamen multo rarius usus est quam in ceteris et maxime in tertio libro. Syllaba „em“ vero qua in primo libro ter decies in altero septies in tertio ter decies prius vocabulorum elisione copulatorum finitum videamus cum in quarto libro nusquam ita posita sit, non adducimur ut novum hoc genus elisionis in quartum librum inducendum esse censeamus, accepta quam duo codices duodecimi et tertii decimi saeculi q et v perhibent lectione [1]) probata illa quidem a Schuetzio ut supra commemoravimus: „Videre Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem et Vindelici“.

Denique quod vocabula „que et“ in 610 versibus quarti libri ter decies, in 2452 versibus trium priorum librorum sexies elisione copulantur, Horatium huic elisioni quae inter omnes sine dubio minimum offensionis habeat praeter ceteras studuisse in eo libro in quo elisiones maxime vitantur consentaneum est [2]).

Monosyllaba in quarto carminum libro Horatius nusquam elisit, „me“ et „te“ in prioribus libris ter

II, 3, 6. III, 29, 5. 55. [3])

Nonnisi in legitima caesura vel ante vocabula graeca breves finales in t litteram exeuntes produci apud Horatium docet Lachmannus [4]). In tribus prioribus libris inveniuntur haec exempla:

I, 3, 36. II, 6, 14. III, 16, 26. 24, 5,

nam III, 5, 17 cum Lachmanno legendum est: perires. In quarto carminum libro hanc licentiam omisit.

Hiatus in quarti libri carminibus non invenitur [5]), quem tres priorum librorum versus exhibent:

I, 28, 24. II, 20, 13. III, 14, 11.

quorum ex duobus hiatus amovetur coniectura Bentleii: II, 20, 13: Jam Daedaleo tutior Icaro III, 14, 11: Jam virum expertae male inominatis.

In versu Sapphico qui dicitur minore quoties caesura post quintam syllabam neglegatur demonstratur hac tabula:

libr. carm.	numerus vers. sapph.	caesura post quintam syllabam neglegitur	que aut ve in sexta syllaba	Summa	Inter v. centenos:
I—III	453	I, 10, 1. 12, 1. 25, 11. 30, 1. II, 6, 11.	I, 10, 6. 18.	7	1½
IV	105	2, 9. 17. 23. 33. 38. 47. 49. 50. 6, 10. 13. 27. 33. 35. 11, 23. 29. 30. 34.	2, 7. 34. 41. 13. 6. 30.	22	21
carm. saec.	57	14. 15. 18. 35. 39. 43. 51. 55. 58. 61. 70. 73.	1. 19. 53. 54. 59. 62. 74.	19	33

Quae cum ita sint, neglegentius Horatius in quarto libro egisse videatur alicui. Quod longe abhorrere a vero ostendit Christius libello qui inscribitur „Über die Verskunst des Horaz im Lichte

[1]) Keller, Epileg. p. 308.
[2]) cfr. Lehrs, die Verschl. p. II—IV.
[3]) Hirschfelder, zur Literatur des Hor. Zeitschrift für d. Gymnasialw. XXIII. 1. 1869. p. 140.
[4]) In T. Lucretii libr. comm. p. 76 sqq.
[5]) cfr. Hirschfelder l. l. p. 140.

der alten Überlieferung" a. 1868 in lucem edito [1]). Christium rei metricae peritissimum si ducem sequimur, Horatius Archilochum et poëtas Aeolenses imitans multum ducitur metricorum suae aetatis doctrina. Quorum ex praeceptis duo potissimum effecerunt, ut Horatii versus exemplaribus Graecis multis in rebus dissimiles essent, quod docebant omnes versus dipodiam excedentes in *κῶλα* dividendos esse, et quod singula metra ab aliis hexametro dactylico potissimum et trimetro iambico derivanda esse censebant. Hac re permotus Horatius in basi versuum pherecrateorum glyconeorum asclepiadeorum semper spondeum adhibuit, nam initia eorum versuum cum semiquinaria hexametri dactylici congruere volebat:

– – – ⏑ ⏑ – | ⏓
– – – ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓
– – – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒

illuc vero pertinet, quod supra de incisione versus sapphici adnotavimus. Nam Horatius eam divisionem versus sapphici secutus grammaticis latinis probatam, ut *τομὴ πενθημιμερής* trochaica

– ⏑ – ⏓ – et iambica ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

coniunctae versum efficiant, in versibus longe plurimis sapphicis caesuram post quintam syllabam adhibuit. At postea poëta sensisse videtur severitatem illam in adhibenda caesura graecorum poëtarum exemplo minime commendatam lentius aequabiliusque accidere auribus, et in quarto carminum libro et carmine saeculari caesura post sextam syllabam *κατὰ τρίτον τροχαῖον* quae dicitur praeter illam incisionem admissa id agebat ut varietate delectaret. Atque haud scio an redintegrata et repetita observatio poëtarum graecorum ea quidem aliis quoque rebus probata Horatium, ut metricorum praecepta neglegere quam versuum venustati officere mallet, commoverit.

Post Christium nuperrime de versu sapphico disseruit Kiesslingius [2]) maximam partem Christium secutus, ita tamen, ut adderet non pauca. Cum Christio Caesium Bassum secutum in ceteris trium priorum librorum carminibus ea quam supra demonstravimus divisione versus Sapphici usum esse Horatium statuit, decimi vero primi libri carminis versum longe alio modo compositum esse ex duabus partibus, quarum altera octo syllabarum, altera trium sit

– ⏑ – – – ⏑ – | ⏑ – ⏓

permotus cum caesara *κ. τρ τρ*, quam in hoc carmine ter inveniri supra adscripsimus, tum eo, quod uno v. 15 excepto ubique ante thesim paenultimam vocabuli finem incidere recte observavit. Quam sententiam Kiesslingius etiam post ea quae Weinholdius [3]) contra dixit et argumentis comprobavit iteravit in libello de arte metrica Horatii quem praefixit editioni nuperrime in lucem emissae. Itaque tria strophae sapphicae genera exstare apud Horatium docet Kiesslingius: unum in quo caesura post quintam syllabam incidat adhibitum in 21 primi secundi tertii libri carminibus, alterum unius carminis I, 10 cuius versus incisionem post sextam syllabam gerant semiquinaria neglecta, tertium in quarto libro et carmine saeculari usurpatum ubi versus sapphici caesura careant [4]). Sed mea quidem opinione, ut Weinholdii argumentis mea addam, haec complurium metri

---

[1]) Sitzungsberichte der k. bayer. Akad. der Wissenschaften zu München 1868. I. Heft 1. p. 1 sqq.

[2]) Z. Chron. u. A. p. 63 sqq.

[3]) Quaestiones Horatianae. Scripsit Alfredus Weinhold. Commentatio annalibus scholae regiae Grimensis addita. Grimae 1882. p. 11.

[4]) Eodem modo Carolus Bock, de metris Horatii lyricis Rendsburg 1880. p. 28 caesuram in his carminibus Horatio prorsus derogare quam post tertium trochaeum statuere mavult.

sapphici generum distinctio et re ipsa parum veri similis est quippe quae nullius metri Horatiani similitudine commendetur neque natura versuum sapphicorum Horatianorum poscitur. Namque versibus 6 et 18 adnumeratis qui in sexta syllaba „que“ particulam habeant 15 illius carminis I, 10 praeter primum omnes inciduntur post syllabam quintam. Totidem cum sint versus post octavam syllabam incisi (omnes praeter v. 15) profecto non dubium esse potest utra caesura pro petita utra pro fortuita habenda sit, penthemimeres quam inter 453 versus 448 perhibeant an ea quae paenultimam thesin praecedit in iisdem 453 versibus 225ies usurpata. Atque huius caesurae exempla aequaliter fere divisa inter omnes carminum libros pendent ex studio Horatii per trisyllabum versus sapphicos finiendi quod quantum sit perspicere licet ex eo quod in libro

I	88
II	53
III	56
IV	41
C. S.	25
	263

versus ita finiti reperiuntur. Quid quod illa nominis proprii excusatio quam Kiesslingius adfert caesurae quam statuit in v. 15

„Thessalosque ignes et iniqua Troiae“

neglectae[1]), ne illi quidem versui qui caesura semiquinaria caret

„Mercuri facunde nepos Atlantis“

deesse videtur. Nam etsi nomine proprio eae syllabae inter quas caesura intercidere debebat non tenentur, tamen nomina „Mercuri“ et „Atlantis“ ad caesuram legitimam versus neglegendam pertinuisse ea re mihi persuadetur, quod in ceteris quoque versibus libri primi et secundi uno versu I, 12, 1 excepto neglecta caesura nomini proprio deberi videtur:

I, 25, 11 „Thracio bacchante magis sub interlunia vento“
I, 30, 1 „O Venus regina Cnidi Paphique“
II, 6, 11 „Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalantho“.

Denique cum etiam in fingendo quinto illo versu

I, 12, 1 „Quem virum aut heroa lyra vel acri“,

Horatius impeditus atque alligatus sit exemplari verborum Pindaricorum quae imitatus est[2]), demonstrasse mihi videor quid causae Horatio fuerit, cur in illis quinque versibus caesuram *κατὰ τρίτον τροχαῖον* admitteret quam in quarto libro et carmine saeculari variandi causa saepius peti supra commemoravimus.

In hiatu inter singulos strophae sapphicae admittendo varium esse Horatii usum id quod a compluribus viris doctis observatum est[3]) vide ex his:

---

[1]) Zur Chron. u. Anordn. d. Oden p. 64. Die metrische Kunst des Horatius. p. XII.

[2]) Pindar. Olymp. 2, 1 *Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;*

[3]) cfr. de arte metrica Horatiana praeter editiones L. Muelleri Kiesslingii aliorum et eos quos nominavi Waltzium Christium Bock: Schiller, die lyrischen Versmasse des Horaz. Leipz. 1869. Gerh. Henr. Mueller, Horati metra. Wongrowitz-Berlin 1882. R. Köpke, die lyrischen Versmasse des Horaz. Berl. 1883.

Hiatus admittitur inter				
lib.	v. sapph. 1—2	v. sapph. 2—3	v. sapph. et adon.	
I	2, 41 12, 25	2, 6 12, 6 25, 18 30, 6	2, 47 12, 7 31 22, 15	10
II	16, 5	2, 6 4, 6		3
III	11, 29 27, 33	11, 50 27, 10		4
IV	—	—	—	—
	5	8	4	17

Itaque cum nullo quarti libri loco hiatus inveniatur septendecim locis ceterorum librorum, ea re Peerlkampii coniecturae IV, 2, 1. 2. „Pindarum quisquis studet aemulari Ille ceratis ope Daedalea" illi quidem aliis rebus commendatae atque a compluribus Horatii editoribus receptae multum dubitationis adfertur atque etiam lectioni quam Luc. Muellerus proponit in nova editione odarum et epodarum „Pindarum quisquis studet aemulari Icarus factis ope Daedalea", praesertim cum consulto hiatu abstinuisse Horatium in quarto libro declaretur versuum alcaicorum eiusdem libri comparatione ipsorum quoque hiatu carentium quem in prioribus libris saepius reperiri ex hac tabula intellegitur:

Hiatus admittitur inter				
lib.	v. alcaic. 1—2	v. alcaic. 2—3	v. alcaic. 3—4	
I	17, 13 25 31, 5 35, 9	9, 14 17, 6 31,14 35, 38	9, 7 16, 27 37, 11	11
II	5, 9 13, 21	13, 26	9, 3 13, 7 11 14, 3 19, 31	8
III	2, 17 4, 9	5, 10 46	5, 11	5
IV	—	—	—	—
	8	7	9	24

Post monosyllabum Horatius non incidit versum sapphicum nisi praecedente altero monosyllabo En loci id genus:

I, 2, 17	II, 2, 10	III, 8, 14*	IV, 2, 14	C. S. 26*
12, 14	21*	25	45	37*
23	4, 13	11, 1	11, 21	57
31	8, 5	30		
33	10, 17	49		
22, 7		50		
32, 1		14, 19		
13*		20, 9		

quo in numero eis notam adposuimus in quibus prioris monosyllabi vice fungitur bisyllabum cuius altera syllaba eliditur. Unus exstat versus tertii carminum libri 27, 39

„Turpe commissum an vitiis carentem"

illi legi ab hexametro huc translatae repugnans.

Nusquam in carminibus libri quarti versus adonius cum praecedenti ita coniunctus est, ut unum vocabulum inter duos versus divisum sit quod quater in priorum librorum carminibus invenitur I, 2, 19. 25, 11. II, 16, 7. III, 27, 59.

Anacrusis versus hendecasyllabi alcaici in quarto libro semper longa est, in tribus prioribus aliquoties brevis: qua libertate usus est Horatius in primo libro octies (9, 1. 27, 17. 22. 31, 9. 17. 35, 37. 38. 37, 22) in altero quinquies (1, 6. 7, 22. 9, 5. 14, 6. 19, 22) in tertio quinquies (1, 2. 26. 3, 34. 4, 78. 5, 22). Versum III, 6, 22 ubi in Luc. Muelleri editione quam ceteroquin secuti sumus

„acerbo virgo et fingitur artibus"

expressum est, in rationem inductum non esse nemo mirabitur qui quantum dubii in illa coniectura insit qua quinque eius modi versibus inter 236 sextus addatur reputaverit.

In dimetro iambico hypercatalecto semper longa est prima syllaba in libro quarto, corripitur in libro primo quinquies (16, 19. 17, 7. 29, 7. 35, 15. 37, 15) in secundo ter (3, 3. 17, 3. 20, 11) in tertio libro bis (3, 71. 29, 11.).

Eidem versus alcaici enneasyllabi caesura legitima post sextam syllabam inciduntur omnes exceptis his:

lib.	numerus vers. alc. enn.	Caesura legitima neglegitur	que aut ve* in septima syllaba	Summa	Inter v. centenos
I	60	16, 3. 26, 7. 11. 29, 11. 35, 11.	27, 3. 34. 11. 37, 11.	8	13
II	86	1, 11. 35. 3, 3. 13, 19. 27. 14, 11. 19, 7. 11. 19.	1, 31. 14, 19. 20, 11.	12	14
III	118	1, 31. 3, 7. 55. 4, 27. 59. 67. 5, 31. 6, 11. 15. 19. 27. 29, 7. 27. 31. 35.	1, 23. 3, 19. 43. 4, 11. 19. 43. 47. 55. 63. 5, 7. 11. 26, 3. 29, 39. 47.	29	24
IV	53	4. 35. 63. 71. 9, 19. 39. 14, 35. 43. 15, 19.	4, 55. 9, 15. 27. 14, 15. 27. 15, 11. 23*. 27.	16	32

Ita Horatius cum alias leges quas ipse sibi imposuit in prioribus carminum libris minus severe servaverit quam in quarto, in neglegenda hac caesura postea longius processit. Itemque tertii et

quarti libri versus alcaicos enneasyllabos incidit post syllabam quartam omissa incisione post syllabam sextam quae in prioribus libris semper addita est:

Versus alc. enn. post quartam syllabam incisi							
inciduntur post sextam syllabam				non inciduntur post sextam syllabam			
lib. I	II	III	IV	I	II	III	IV
9, 15	3, 23	1, 11	4, 7			1, 31	4, 71
19	5, 3	2, 3	39			4, 27	9, 19
16, 23	7, 15	19	43			59	39
17, 15	19	4, 3	59			67	14, 43
29, 7	23	7	75			29, 27	15, 19
31, 7	19, 15	23	9, 51			31	
15	20, 3	5, 23					
19		17, 15					
34,7		21, 11					
15		23, 7					
37, 15		26, 7					
19		29, 59					
12	7	12	6			6	5

Sed in omnibus his 47 versibus quarta syllaba tenet monosyllabum, cum duobus locis vox plurium syllabarum hanc incisionem praecedat atque iis libri primi et secundi: I, 26, 11. II, 3, 27 [1]).

Similiter penthemimeren huius versus in primo et secundo carminum libro plerumque, in tertio et quarto semper monosyllabum sequitur [2]), ut hoc indice declaratur.

Penthemimeren alcaici enneasyllabi sequitur							
monosyllabum				vocabulum plurium syllabarum			
lib. I	II	III	IV	I	II	III	IV
9, 11	3, 15	1, 43	4, 51	16, 3	1, 11		
16, 7	27	2, 11	9, 23	26, 7	3, 3		
11	5, 7	3, 15	35	29, 11	13, 27		
19	15	4, 75	47	35, 11	14, 11		
26, 3	7, 11	5, 43	14, 23		19, 7		
27, 11	13, 3	6, 39	47		11		
19	11	47			19		
23	14, 7	17, 3					
31, 3	15, 19	29, 43					
34, 3	17, 7						
35, 3	15						
19	19						
37, 23	20, 19						
	23						
13	14	9	6	4	7		
42				11			

[1]) cfr. Lachmanni ad C. Frankium epist. p. 239.

[2]) cfr. Lachm. l. l. p. 238.

Rythmum caesurae [1]) cui obtemperans Horatius in versibus sapphicis monosyllabo ante caesuram posito alterum monosyllabum addere solet ad asclepiadeos pertinere noluit; nam nisi in duobus versibus asclepiadeis minoribus I, 6, 5 et III, 16, 23 is rythmus non servatur, violatur haud raro. Neque hac in re singulorum librorum usum varium esse inveni; nam secundi libri versus asclepiadeos monosyllabo caesuram praecedente carere nihil est quod miremur, cum uno duodecimo huius libri carmine hoc metro usus sit Horatius. Tamen eius generis versus hoc loco enumerare licebit, cum Waltzius [2]) omiserit nonnullos:

I, 1, 2. 3, 16. 6, 14. 17. 14, 9. 13. 15, 19. 25. 19, 12. 21, 14. 23, 9. 24, 6. 11.
III, 10, 13. 13, 5. 10. 16, 14. 23. 35. 24, 2. 46. 64. 25, 2. 6. 14. 30, 4.
IV, 3, 6. 5, 26. 33. 8, 4. 5. 9. 14. 26. 12, 6. 13, 17.

Versui IV, 13, 1 cuius clausulam magis etiam inelegantem esse L. Muellerus [3]) dicit similes inveniuntur duo IV, 3, 24 et IV, 13, 1 atque notandum omnes tres versus exstare in libro carminum quarto.

Atque haec quidem de metris Horatianis; videamus nunc quatenus in genere dicendi quarti carminum libri discesserit Horatius a prioribus carminibus.

Antiquiore infinitivi forma quae „ier“ syllaba terminatur Horatius extra satiras et epistolas uno quarti carminum libri loco utitur 11, 8 spargier, et in eodem libro 6, 21 „ni“ reperitur positum pro „nisi“ quod in prioribus libris semper usurpatur: I, 10, 9. 14, 15. II, 2, 3. 14. 17, 28. III, 17, 12. 27, 63.

Pauca vocabula ab obsoleta vetustate sumpta sunt in libro quarto ut: clarare (3, 4) progenerare (4, 32) indecorare (4, 36) beare (8, 29 cfr. II, 3, 7) aeternare (14, 5); multo maior est numerus vocabulorum novorum et ab Horatio inventorum: iuvenescere (2, 55) praefluere (3, 10. 14, 26) obarmare (4, 21) affulgere (5, 7) faustitas (5, 18) involitare (10, 3) implacidus (14, 10) tauriformis (14, 25) domabilis (14, 41) beluosus (14, 47) inimicare (15, 20) adprecari (15, 28).

Dativus loco accusativi cum praepositione „in“ coniuncti verbis adiectus, Waltzium [4]) si auctorem sequimur, in his primi libri locis est: 1, 8. 12, 31. 12, 59. 24, 18. 28, 9. 29, 10 quibus Ebeling [5]) et Dittel [6]) I, 10, 17. 16, 17. II, 12, 17. III, 5, 22. 30. 11, 51. 23, 1. 24, 6 Kuehner [7]) I, 2, 1 addunt. Quo in numero quamvis nonnulli sint ubi ablativum quam dativum intellegere malim ut I, 1, 8. 16, 17 etc., tamen notandum est in quarto carminum libro eiusmodi exemplum non reperiri, cum in hoc libro 10, 5 verbum vertendi cum praepositione „in“ coniunctum sit cui I, 35, 4 „vertere funeribus triumphos“ dativus adiungatur, nisi forte illud „funeribus“ pro ablativo instrumentali habendum est.

Cum dativum participio futuri passivi adiunctum videamus I, 35, 32. II, 14, 9. IV, 4, 68. 9, 21. 11, 14, dativo cum participio perfecti coniuncto Horatius in quarto carminum libro prorsus

---

[1]) cfr. Luc. Muelleri libellum de metris Horatianis p. LXVI sq. LXXIII sq.
[2]) p. 197 sq.
[3]) l. l. p. LXXIV.
[4]) l. l. p. 105 sq.
[5]) De casuum usu Horatiano. Jahresbericht des Gymn. zu Wernigerode 1865—66 p. 28 sq.
[6]) De dativi apud Horatium usu. 6. Jahresbericht des Staats-Obergymn. zu Landskron in Böhmen 1877—78. p. 43 sq.
[7]) Ausführliche Grammatik der latein. Sprache. II. Hannover 1878. § 76, 6 g. p. 235 sq.

abstinuit. Quod num consulto fecerit dubium videtur, quamquam in prioribus carminum libris huius dativi complura exempla reperiuntur[1]):

I, 1, 24. 27. 21, 3. 24, 14. 32, 5.
II, 1, 31. 4, 17. 6, 5. 11. 13, 13.
III, 3, 22. 66. 29, 27.

Illos vero duos locos I, 26, 4. III, 25, 3 ubi Horatius dativum praesenti passivi adiunxisse videtur omittendos esse puto, quod uterque locus aliam in partem accipi potest[2]).

Quod ablativus post comparativum adverbii pro quam cum accusativo in carminibus adhibetur I, 8, 9. 12, 13. 18, 1. IV, 5, 11. 9, 50, sed post comparativum adiectivi nominis pro quam cum accusativo quae locutio etiam apud solutae orationis scriptores inveniatur[3]) neque quicquam dubii habeat in carminibus trium priorum librorum non usurpatur in quarto libro et carmine saeculari ter: IV, 2, 37 c. s. 11. 44[4]), ego aliter atque Waltzius[5]) casui attribuendum esse puto. Contra unum exstat in libro quarto ablativi comparationis exemplum tam inusitate dictum, ut Peerlkampio[6]) testimonio sit eum locum a grammatico quodam suppositum esse: 14, 13 „plus vice simplici" ubi ablativus accipiendus est pro „quam vice simplici" cui simile quoddam non inest in carminibus priorum librorum. Nam quod cum hoc comparari solet I, 13, 20 cum Weissenbornio quem Nauckius et Kiesslingius secuti sunt „citius quam suprema dies" explicandum esse puto reiecta altera illa interpretatione „citius quam suprema die" a compluribus probata, inter quos nomino Orellium Firnhaber[7]) Obbarium Ebeling[8]) Dillenburger Kuehner[9]). Neque enim persuadetur mihi gratiorem sententiam hac ratione praeberi quod Orellio et Ebelingio, et ita explicatum hoc „suprema die" etiam superaret audacia loquendi illud „vice simplici", nam offenderet ambiguitate quae ante omnia displicet apud ablativum comparationis.

Coniunctivi iussivi rariore illius usu adhibiti ubi scriptor certam quandam personam alloquitur[10]) in prioribus tribus carminum libris haec inveniuntur exempla: I, 11, 6 sapias liques 7 reseces 14, 20 vites II, 11, 3 remittas 4 trepides III, 10, 17 parcas, in quarto libro nullum[11]), cum imperativus in omnibus carminibus aequaliter adhibeatur (in libr. I II III 43ies in IV 8ies)[12]). Qua in re utrum Horatius casum an consilium secutus sit in dubium vocatur, quod in carmine saeculari idem coniunctivus iussivus ter legitur: 11 possis 17 producas 18 prosperes. At imperativi praesentis cum particula „ne" coniuncti nisi apud poëtas antiquiores et iuniores non adhibiti[13]) unum exstat apud Horatium exemplum[14]) in libro primo carminum I, 28, 23 „ne parce".

---

[1]) cfr. Ebeling p. 32. Dittel p. 42. Waltz. p. 107 sq.
[2]) Dittel p. 43.
[3]) Kühner § 225, 5.
[4]) cfr. Ebeling p. 38.
[5]) p. 110.
[6]) p. 325.
[7]) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1840. p. 1214.
[8]) p. 39.
[9]) § 225, 5. Anm. 12. p. 976.
[10]) cfr. Kühner II. § 47, 6 d. p. 139. 140.
[11]) G. Ebeling, de imperativi usu Horatiano. Syntaxis Horatianae particula II. Wernigerodae 1870. p. 13. 14.
[12]) Exempla collegit Ebeling l. l. p. 1. 2.
[13]) Kühner II. § 51 b. p. 155.
[14]) Ebeling II. p. 17.

Recte Waltzius[1]) adnotavit longe plurima exempla verborum cum infinitivis coniunctorum quae ante Horatium et Vergilium ita posita esse non videantur inesse in tribus prioribus carminum libris. Cuiusmodi verborum numero quae recte adfert: amo sperno furo tendo trepido urgeo impello perhorresco renideo, quod etiam: memini persequor mitto ploro adnumeravit miror, cum ea apud scriptores prioris aetatis reperiri constet[2]). Cum vero in quarto libro nullum verbum hunc in modum cum infinitivo coniunctum inveniatur uno loco 4, 21 „quaerere distuli" excepto, haud scio an hac quoque re illi versus 18—22 etiam aliis de causis a plerisque nota quadam censoria notati[3]) in suspicionem vocentur, praesertim cum verbum differendi neque alio Horatii loco neque apud Vergilium reliquosque eius aetatis poëtas inveniatur ita positum, sed a Livio tantum et Curtio usurpetur[4]).

Traiectione copulativae coniunctionis „et" in posterioribus carminum libris Horatium saepius usum esse quam in prioribus Hauptius observavit[5]). Cuius collocationis exemplis quae apud Hauptium sunt

I, 2, 9. 18. 39. 13, 6. 29, 14. 31, 10. 37, 25. II, 8, 14. 19, 10. 16. III, 4, 70. IV, 10, 4.15, 2.
addenda videntur haec esse:

I, 12, 11. 37, 8. III, 24, 48. IV, 15, 5.

Haec habui de hac re quae dicerem: inde quamquam carmina quarti libri omnibus numeris et partibus perfectiora esse libris prioribus non collegerim, tamen nemo negabit tantum interesse inter hos libros et illum, ut ullum carmen quarti libri eodem tempore quo carmina trium priorum librorum confectum esse credi non possit, id quod aliis quoque rebus doceri supra demonstravimus.

---

1) p. 125.
2) cfr. Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch. Leipz. 1879 s. h. v. Kühner II. p. 49 . 495. Dräger, historische Syntax der lat. Sprache II. Leipz. 1878. p. 324.
3) Kellerus (I. p. 160. cfr. Epil. I. p. 309) nominat Lambinum Guietum Buttmannum Peerlkampium Meinekium Linkerum Gruppeum quorum ad sententiam nuper Schuetzius (I² p. 260 sq.) accessit.
4) cfr. Dräger II, p. 326.
5) Opuscul. I, 121.

Schulnachrichten

von Ostern 1884 bis Ostern 1885.

I. Die allgemeine Lehrverfassung der Schule und zwar:

1. Übersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

Fächer.	Klassen und Stunden.					
	I.	O.II.	U.II.	O.III.	U.III.	Zusammen.
Religion	2.	2.	2.	2.	2.	6.
Deutsch	3.	2.	2.	2.	2.	11.
Lateinisch	8.	6. 2.	2. 6.	7. 2.	2. 7.	38.
Griechisch	6.	7.	7.	7.	7.	34.
Hebräisch	2.	2.	2.	.	.	4.
Französisch	2.	2.	2.	2.	2.	10.
Englisch	2.	2.	2.	.	.	6.
Geschichte und Geographie	3.	3.	3.	4.	4.	13.
Mathematik	4.	4.	4.	3.	3.	18.
Physik	2.	2.	2.	.	.	6.
Naturgeschichte	.	.	.	2.	2.	2.
Zeichnen	1.	1.	1.	1.	1.	2.
Gesang	2.	2.	2.	1.	1.	3.
Turnen	.	.	2.		.	2.
Zusammen	39.	39.	37.	35.	35.	155.

2. Übersicht der Verteilung der Stunden unter die einzelnen Lehrer.

Lehrer.	Ordinarius	I.	O.II.	U.II.	O.III.	U.III.	Zusammen.
Direktor **Prof. Dr. Schimmelpfeng.**	I.	2 Latein. 6 Griechisch	2 Latein.				10.
1. Oberlehrer **Prof. Dr. Freyer.**		4 Mathem. 2 Physik	4 Mathem. 2 Physik	2 Physik		3 Mathem.	17.
2. Oberlehrer **Prof. Bösch.**		2 Religion 2 Hebräisch 3 Geschichte	2 Religion 2 Hebräisch 3 Gesch.		2 Deutsch		16.
3. Oberlehrer **Dr. Kühlewein.**	O.II.	2 Englisch	6 Latein. 2 Griech. 2 Englisch	3 Gesch.	2 Naturkunde		17.
1. ordentlicher Lehrer **Dr. Mücke.**		6 Latein.		7 Griech. 4 Mathem.			17.
2. ordentlicher Lehrer **Dr. Becher.**	U.II.	3 Deutsch 2 Französ.	2 Französ.	6 Latein.	2 Religion 2 Latein.		17.
3. ordentlicher Lehrer **Dr. Lücke.**			2 Deutsch 5 Griech.	2 Deutsch		7 Griech. 2 Französ.	18.
4. ordentlicher Lehrer **Dr. Meyer.**	O.III.			2 Französ. 2 Englisch	7 Latein. 2 Französ. 3 Mathem.	2 Deutsch	18.
5. ordentlicher Lehrer **Tüselmann.**	U.III.				7 Griech. 4 Gesch. u. Geogr.	7 Latein.	18.
Musikdirektor **Bajohr.**		2 Zeichnen 3 Singen 2 Turnen					7.

3. Übersicht über die während des Schuljahres 1884/85 absolvierten Pensen.

Prima.

Ordinarius: Der Direktor.

Religion: Kirchengeschichte bis zur Reformation, nach Hollenberg, Hülfsbuch für den evang. Religionsunterricht. (S.) Erklärung des Evangeliums Johannis nach dem Urtexte (W.). 2 St. w. Bösch.

Deutsch: Litteraturgeschichte bis zum Tode Lessings. Gelesen: Gedichte Walthers von der Vogelweide; An den christlichen Adel deutscher Nation von des christlichen Standes Besserung; Von der Freiheit eines Christenmenschen von Luther, ausgewählte Oden von Klopstock; Wie die Alten den Tod gebildet, Laokoon, Hamb. Dramaturgie mit Auswahl, Emilia Galotti von Lessing. — Freie Vorträge über litterarhistorische Themata. Monatlich ein Aufsatz. 3 St. w. Becher.

Aufgaben für die deutschen Aufsätze: 1. a) Welche symbolische Wahrheit liegt in der Sage von der Blindheit Homers? b) Was machte die Antigone zu einem Lieblingsdrama der Athener? 2. Darf Sokrates das volle Mitleid des tragischen Helden beanspruchen? 3. Wer mufs gröfsere Opfer bringen, Penelope oder Gudrun? (Klassenaufsatz.) 4. a) Walther von der Vogelweide im Kampfe wider das Pabsttum. b) Walther von der Vogelweide im Dienste dreier deutscher Könige. 5. Marcet sine adversario virtus. (Abiturientenaufsatz.) 6. a) Wer sich den Menschen nützlich machen will, mufs doch zuerst sich ihnen gleichzustellen suchen. (Schiller, Don Karlos.) b) Enthält das Wort in Schillers Maria Stuart „Das Leben ist des Lebens höchstes Gut“ eine allgemein gültige Wahrheit? 7. a) Nicht Schmerz ist Unglück, Glück nicht immer Freude; wer sein Geschick erfüllt, dem lächeln beide. (W. von Humboldt.) b) Mit welchen Gründen suchen die Gesandten im 9. Gesang der Ilias den Achilleus umzustimmen, und inwiefern entsprechen ihre Vorstellungen dem Wesen der einzelnen Redner? 8. Wie zeichnet Schiller im Don Karlos die katholische Kirche? 9. Die Gellertschen Fabeln im Lichte des Horazischen „Omne tulit punctum etc.“ (Klassenaufsatz.) 10. Welche Männer ehrt die Weltgeschichte mit dem Beinamen des Grofsen? 11. a) Warum mufsten die Meister der Laokoongruppe im Ausdruck des Schmerzes Mafs halten? b) Die Darstellung schöner Körper in Schillers Romanzen, beurteilt nach Lessings Laokoon. 12. Abiturientenaufsatz: Friedrichs des Grofsen Stellung zur deutschen Litteratur.

Lateinisch: Hor. Od. B. I u. II (S.). Satiren B. I u. II m. A. 2 St. w. Schimmelpfeng. Cicero. Tusculan. disput. lib. I u. V (S.), de oratore lib. I (W.); Tacitus ab exc. d. Aug. lib. XIV, Germania, Agricola. Privatim: Cicero de officiis lib. II u. Tuscul. II—IV m. A. Terentius, Andria; Plautus, Trinummus. — Aufsätze, Extemporalien, gewöhnlich im Anschlufs an die Lektüre, Exercitien, Übungen im Lateinsprechen. 6 St. w. Mücke.

Aufgaben für die lat. Aufsätze: 1. a) Tyndarus Plautinus eximiae fidei exemplum. b) Quam singulari fuerit Themistocles in omni re gerenda consilio. 2. a) De ingeniorum Graecorum cum Romanis comparatione, quae est apud Cic. Tuscul. disput. I, 1—4 quid judicandum sit. b) Antigonam pietate periisse, Creontem superbia. 3. De veterum Germanorum virtutibus ac vitiis. (Klassenarbeit.) 4. Quid M. Tullius de contemnenda morte senserit explicetur. (Abiturientenaufgabe.) 5. Quaeritur, num Tacitus ipse Germaniam peragrando exploraverit. 6. a) Quales Terentius in Phormione induxerit Antiphontem et Phaedriam, Demiphontem et Chremeta. b) Quae egregiae scriptoris virtutes ex praefatione Livii eluceant. 7. In rebus adversis maxime enitet virtus. 8. Recte Tacitum judicasse C. Julium Caesarem ostendisse posteris Britanniam, non tradidisse probetur. 9. Vita Plauti proposita, Trinummi fabulae argumentum breviter adumbretur. (Klassenarbeit.) 10. Quibus de causis Cicero in libro de oratore quae sentiebat de institutione oratoris per personas Crassi, Antonii, Caesaris quam ipse explicare maluerit. 11. Abiturientenaufgabe: Exponatur, quid causae sit, cur nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri possit.

Griechisch: Hom. Ilias I—VI (S.). VII—XII (W.). Plat. Protag., privatim: Kriton, Phaedon. cap. 1—14 und 63—66, Euthyphron, Laches. Sophokles Aias; privatim: Soph. Philokt. u. Eurip. Phoeniss. — Exercitien u. Extemporalien im Anschlufs an Platon. 6 St. w. Schimmelpfeng.

Hebräisch: Ergänzung und Abschlufs der Formenlehre nach Seffer, Elementarbuch der hebräischen Sprache. Lektüre ausgewählter prosaischer und poetischer Lesestücke teils nach Seffer, teils aus dem A. T. 2 St. w. Bösch.

Französisch: Histoire de mon temps, II von Friedrich dem Grofsen (S.). Histoire de Jeanne Darc von de Barante (W.). Repetitionen aus allen Pensen. Alle 14 Tage ein Extemporale im Anschlufs an die Lektüre oder ein Exercitium. 2 St. w. Becher.

Englisch: Macaulay, history of England chap. III von p. 320 ab mit Auswahl (S.). Shakespeare, King Richard II (W.). Alle 14 Tage ein Extemporale im Anschlufs an die Lektüre oder ein Exercitium. 2 St. w. Kühlewein.

Geschichte: Repetition der alten Geschichte (S.). Neuere Geschichte bis 1688 (W.). Nach Herbst, Historisches Hülfsbuch für die oberen Klassen. I u. III. Repetition der Geographie Europas. 3 St. w. Bösch.

Mathematik: Gleichungen, Reihen, Kombinationslehre, binomischer Lehrsatz (S.). Stereometrie (W.). Extemporalien und (6) häusliche Arbeiten. 4 St. w. Freyer.

